ENCHIRIDION

R. STANISLAI à LOWICZ

P O L O N I.

Artium Liberalium MAGISTRI,

Canonici Regularis.

S. SEPULCHRI.

De Immaculata Conceptione

BEATISSIMÆ VIRGINIS

M A R I Æ,

P R O P O S I T U M.

Et in Officina VNGLERIANA Annô Domini 1538. Cracoviæ

I M P R E S S U M.

modó verò R. R. P. P. Camaldulen. Montis Argent. hini ac Cracoviam

curâ & ſtudiô

M. IACOBI PAVLI RADLINSKI

P O L O N I,

Sacræ Theologiæ DOCTORIS, Ordinis Canonicorum Regularium Cuſtodum S. SEPULCHRI CHRISTI DOMINI, PRÆPOSITI GENERALIS INFULATI

R E I M P R E S S V M.

Annô Domini 1747.

C R A C O V I Æ.

Typis Michaëlis Dyáſzewſki, S. R. M. Typographi.

IN INSIGNIA
CANONICORUM REGULARIUM
S. SEPVLCHRI.



HOc inſigne velis referat quod noſcere Lector,
Eximij ſeu quod ſtemmata quæq; notent?
Id ſuperat longè dubitas ſi inſignia cuncta,
Geſtis præſtantes quæ meruêre viri,
Namq; cruenta refert, plagati vulnera Chriſti,
Grandi pro miſeris quæ in Cruce ſpontè tulit
Proficuo nobis etiam ſacrata cruore,
Veri quando tulit ſaucia membra DEI.
Hanc igitur ſemper diſcant æqualiter omnes,
Chriſtiadum veri concelebrare chori:
Tamq; bono ac forti, cingant ſua pectora ſcuto
Horret quod ſtygius, tangere dente draco.

M. JA-

M. JACOBUS PAULUS RADLINSKI,

Sacræ Theologiæ DOCTOR, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri CHRISTI Domini
PRÆPOSITUS GENERALIS INFULATUS.

Amplissimis, Nobilissimis, Celeberrimis, & Universis Conventibus Canonicorũ, & Canonissarum Regularium S. Hierosolymitani Sepulchri, in Germania, Belgio, Gallia, Hispania, Hungaria, Bohemia, Silesia, &c. constitutis nobis salutem in Eo, qui pro nobis crucifigi, & die tertia voluit de Sepulchro resurgere

EXistentes in extrema calamitate, ex incendio Ecclesiæ & Conventûs Generalis Miechoviensis (quod contigit Annô Domini, 1745. die 19. Aprilis Feria secunda Paschatis) illud post DEUM Optimum Maximum, primum solatium habemus, quod Vobis Æstimatissimi Canonici & Canonissæ Ordinis Nostri, nostram calamitatem, communicare valeamus. Communicamus igitur, quan-

tùm possumus! sed quia gravitatem incendij, satis explicare non adest facultas, illud tantùm enarramus, quòd tota Ecclesia Miechoviensis, Sacrosanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Filia, & post subactam Hierosolymam Caput Ordinis, ab imis fundamentis, usq; ad verticem, tam intra, quàm extra, sit ignibus consumpta. Invalescentibus à vento flammis, decidit tectum in fornicem, fornix in pavimentum marmoreum Templi, ab his decidentibus combusta omnia Altaria nullô exceptô, combusta Argenteria Altarium, pro Festo Paschatis exposita, cum toto suo Apparatu; combusta magnifica Stalla, Ambona, Cathedræ, Organa, marmora, combustum Monumentum marmoreum Liberalissimi Fundatoris JAXÆ, in medio Ecclesiæ positum, & omnis decor internus aurô respersus adeò, ut in tota Ecclesia nihil integri permanserit, nisi soli cineres & favillæ: Et egressus est à Filio Sion, omnis decor ejus. *Eôdem ardore flammarum, consumptæ sunt nobilissimæ Turres, aliquæ tegulis, aliquæ ære contectæ: diffluxerunt grandes Campanæ ipsa antiquitate notabiles, & campanilia. Similem jacturam subijt totus Conventus Generalis Miechoviensis, cum Loco Capitulari & Refectorio majori, decentissimo, Novitiatu, Residentia Præpositorum Generalium, cum Libris manuscriptis, & typo impressis, cum juribus & Privilegijs Ordinis, cum Regestris & Inventariis, cum omnibus Officinis*

domesti-

domesticis, & aliis innumeris. Tanta vehementia ignium ortum & principium habuit à Civitate Miechoviensi, quæ dùm tota ignibus amplissimis occupata fuerit, & combusta, tunc totus impetus ignium, conversus est in Ecclesiam & Conventum, & intra tres horas omnia consumpsit, & contrivit ità, ut etiam Sepulchra mortuorum quassarentur, & concuterentur. In tantæ exinanitionis, consumptionis, & ruinarum articulo, justum esset à Vobis Nobilissimi Conventus temporalia subsidia exquirere: sed quia Vos Ipsos, novimus præsentis diuturni belli in tota Europa durantis, furore esse gravatos, ideò sola Spiritualia adminicula, nempe orationes, & pia suspiria postulamus.

Alterum solatium in præfata calamitate incendij illud percepimus, quod Librum Doctissimi STANISLAI à ŁOWICZ Canonici Regularis Ordinis Nostri, de Iñaculata Conceptione B. V. MARIÆ *tractantem, ante annos ducentos typô impressum, & ita dispersum, evacuatum, & abolitum, ut nullum ejus exemplar in Bibliotheca Miechoviensi, & aliis reperiri potuerit, tandem in Publica, Amplissima, & Celeberrima Bibliotheca ZAŁUSCIANA Varsaviensi recenter fundata, reperimus, Eumq; tanquam notabilem thesaurum reimprimere censuerimus. Hunc ergo Librum, hunc thesaurum inventum, hanc Gemmam* Immaculatæ Conceptionis, *Vobis Nobilissimi Conventus, Ordinis Nostri consecramus, dedi-*

camus

amus, & *offerimus*, *sperantes quod eô perlectô*, *simili Zelô*, & *Studiô* Imaculatam Conceptionem *defendetis*, *ampliabitis*, & *promovebitis*. *Quia verò* Immaculata Conceptio B. V. MARIÆ, *supponit Unionem VERBI Divini*, *cum Natura Humana*: & *ex hoc arguimus* B. V. MARIAM *esse prævisam*, & *servatam* Imaculatam, *quia in Illa VERBUM Divinum erat uniendum Naturæ humanæ*: *ideò unionem Conventuum Belgicorum cum PRÆPOSITO GENERALI Sedem in Polonia habente*, & *Conventu Generali Miechoviensi*, *in Capitulis Generalibus factam*, *Iisdem Conventibus Belgicis Canonicorum* & *Canonissarum commemorandam esse duximus*, & *ipsô factô commemoramus*: *Conventibus autem Bohemiæ* & *Silesiæ*, *præsentamus Petram*, & *Plantam de qua excisi sunt*, *exhibemus Originem*, *à Conventu Generali Miechoviensi dimanantem*, *ut ad Caput suum redeant à quo ortum*, & *vitam habent*. *Præfatæ Unionis* & *Originis authentica documenta*, *exposuimus SS. Domino Nostro feliciter Regnanti BENEDICTO XIV. Pontifici Maximo*, & *obtinuimus Rescriptum*, *quòd cessante bellorum motu*, *istud negotium feliciter consummabitur*: *quod ut efficaciter eveniat*, *DEUM Ipsum*, *Unionis* & *charitatis Authorem precamur*. *Scripsi in Polonia ex Conventu Generali Miechoviensi*, Annô Domini 1747. die 1. Decembris.

PRÆ-

§)(+)(§

Præfatio ad Lectorem.

HÆc est multorum etiam Doctissimorum Authorum, Scriptorumq; injuria, quod eorũ Libri, Lucubrationes, laboresq; typô impressi, plerumq; in orbem dispersi, ita dispereant, ut illorum nec vestigium haberi possit. Dùm enim præfati Libri ad diversas perveniunt manus nec debitè conservantur, passim lacerantur, usu conteruntur, consumuntur, & tandem ita evacuantur. ut faciliùs sit raram Phænicem invenire quam partum ingenij ipsorum. Et hoc totum factum est cum Opusculo Stanislai à Łowicz, *Artium Liberalium Magistri, S. Theol: Doctoris Ordinis Nostri Canonici. Impressit ille typis suum Opusculum de* Imãculata Conceptione B. V. MARIÆ *Anno Domini* 1538. *Cracoviæ in Officina Ungleriana, sed varijs temporum calamitatibus, ita hic liber disperijt, ut ejus exemplar in Bibliotheca Miechoviensi à sexcentis Añis fundata, reperiri non potuerit. Comperta carentia istius Libri demandavi discutere omnes Bibliothecas Cracovienses & alias Cracoviæ vicinas, ac nostras varijs in Provincijs, & Conventibus existentes, cæterà in his præfatum Opusculum non est repertum. Facta hac in varijs Bibliothecis Poloniæ diligentia, ultimatò recursum feci ad Jllustrissimum & Reverendissimum D.* JOSEPHUM *Comitem in Załuskie* ZAŁUSKI, *Supremum Regni Referen-*

darium,

arium, Canonicum Cathedralem Cracoviensem, Abbatem Villariæ, Betnaci, & Fontanetti in Galliis, Insignis Collegiatæ Varsaviensis Præpositum, Fundatorem scientiarum & Bibliothecæ Varsaviensis, pro publico Regni Poloniæ usu plantatæ & Annô Domini 1746. sub tempus Comitiorum Generalium apertæ. Præfatus enim Supremus non tantum Regni, sed etiam scientiarum Referendarius, imò Princeps, totam curam suam, studium, sollicitudinem, ac vitam ipsam in fundanda sua Bibliotheca ad hoc specialiter exposuit, ut, (præter alia Orbis universi volumina) omnes Authores Polonos, sive typo impressos sive manuscriptos in unum colligeret, & orbi toti demonstraret, quod etiam in Polonia non tantùm armis, sed etiam scientijs & Libris scribendis reperiantur capacissima ingenia: unde ipsorum Authorum Polonorum collegit plusquam sexdecim millia, & plura sequenti tempore se collecturum intendit, eorumq; Registrum typis imprimere decrevit. Ad hunc ergo primum in Polonia nostra publicæ Bibliothecæ scientiarumq; Fundatorem, ad hunc Principem Literarum, ad hunc æstimatorem, amatorem, & Plantatorem Doctorum, ad hunc universæ eruditionis Fontem & Caput, totius Europæ notitiâ, experientia & sublimitate acutissimum, refertissimum & plenissimum, vota precesq; meas exposui, in quærendo & inveniendo Opusculo Stanislai à Łowicz *Canonici Nostri. Ad primam ergo petitionem meam repertum est præ-*

fatum

fatum Opusculum in Regestro amplissimæ Bibliothecæ Załuscianæ, sed inter plurima millia Librorum, ibidem contentorum, & nondum pro eo tempore in ordinem redactorum, non poterat manibus attingi & possideri. Differebantur ergò desideria mea per duos annos: tandem Annô Domini 1747. Mense Junio inventum est in præfata Celeberrima Bibliotheca Załusciana, & mihi gratissimè donatum ab eodem Illustrissimo & Reverendissimo Referendario Regni. Pro cujus donatione publicas eidem Fundatori & Conservatori scientiarum refero gratias, & æviternam inscribo gratitudinem, simulq; exopto, ut Amplissima, Celeberrima, & Auctissima, Bibliotheca Załusciana Varsaviensis Orbem universum doceat, & omnes Orbis totius Bibliothecas superet, suumq; Fundatorem ad altissima Regni subsellia erigat, qui enim fundant scientias, illi sunt primi, non tantùm ad Curules, Purpuras, & subsellia, sed etiam ad Sceptra & Coronas. Ne autem inventa in mari Bibliothecæ Załuscianæ margarita, ibidem tantum luceat, & ne tam rarum Opusculum uni climati seruiat, sed potiùs ut plurium lectioni commodum esse posset, convenientissimũ esse duxi illud typis reimprimere, & iteratò soli publico exponere, pro majori honore & ampliando cultu Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ. *Habueram in votis istud modicum in foliis, amplum in tuendo honore B. V.* MARIÆ *Immaculatè Conceptæ aliquibus co-*

gitationibus

gitationibus augere, ſed nè quid piæ antiquitati, & antiquæ pietati, tum candori detrahere vel diminuere videar, ab hoc ſuperſedendum cenſui, proindè illud ita reimprimendum porrigo, ſicut ab ipſo Authore conſcriptum & impreſſum eſt. Ad finem autem ejuſdem Opuſculi adjungo Bullas & Conſtitutiones Sum̃orum Pontificum, *pro honore Immaculatæ Conceptionis editas, item* Diplomata Regum *defendendæ Immaculatæ Conceptioni conducentia. Adjungo præterea Symbola carmine expreſſa pro Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis* MARIÆ.

EXCERPTVM
Ex SAMUELE NAKIELSKI, Canonico & Hiſtorico Ordinis Noſtri.

H*Ic* Stanislaus à Łowicz *ſæpiùs à me jam recenſitus temporibus* Thomæ *Præpoſiti floruit, vir præcellentis doctrinæ, & qui præclaris ingenij ſui monimentis Ordinem noſtrum, cui Nomen ſuum dederat, plurimùm exornavit, illuſtravitquè. Præter enim varias lucubrationes, gravi & eruditô ſtylô à ſe conſcriptas, quæ non ſunt vulgatæ, Tractatum de Immaculata Conceptione DEI Genitricis edidit, cui Conciones de eadem Conceptione ad populum habitas, adjunxit. Ibidem in calce libri adjecit quædam Religioſorum, & qui monaſticam vitam ſunt profeſſi, egregia inſtituta. Quod opus* Thomæ *Præpoſito uti Patrono ſuo ſingulari dedicavit, eo tempore, dum Concionatoris officio*

ad Ecclesiam Divæ Virginis in Circulo Craco-viensi fungeretur, simulq; Ecclesiæ Parochiali Urocierzyensi cum munere Pastorali præfuisset. Hic ob miram ingenij, & facundiæ præstantiam cum omnibus pene sui temporis Fratribus charus gratusq; esset, certe à Leonardo Słonczevio *Synchrono suo Præposito* S. Hedvigis *eodemq; Episcopo Camenecensi summopere adamatus fuit, à quo & in pignus præcipui erga se amoris, pretiosa cimelia dono accepit, palam id attestante manuscriptô libellô, qui penes Ecclesiam Urocierzyensem asservatur. Ita* Samuel Nakielski *fol. 623.*

Altero de hinc Annô, qui fuît post Christum Natum 1557. convocatum fuit pro die 11. Septembris Petricoviam Concilium Episcoporum Poloniæ, Nationale, ad ferendum remedium opportunum Ecclesijs ejus Provinciæ laborantibus, quæ novis hæreticorum imposturis, per varia loca hîc in Polonia affligebantur: Et quô potissimum tempore Familiæ potentes religionē Lutheranā amplexatæ Ecclesiasticum Ordinem vehementer impetebant. Est enim homo velut infrenis equus sine religione, eoq; deterior, quò natura contumacior, & in vitiū propensior. *Ad hanc Synodum* Nicolaus Dzierzgowski, *Archiepiscopus Gnesnensis, cū Universos Ecclesiastici Ordinis viros, tum verò* Stanislaum à Łowicz, *S. Th. Doctorem cognomento* Bedam *Fratrem de Ordine Nostro, pro eo tempore Præpositum Ecclesiæ* S. Joannis

ad Gnesnam, peculiaribus literis invitavit, quorum copiam de vetusto manuscripto Conventuali depromptam, benevolo Lectori hic communicandam censui: sic autem scripsit.

Venerabilis Domine, Fr. in Christo charissime, salutem & felicitatem.

QUia postulantibus ita Rationib⁹ & causis justis Religionis Sanctæ, ut omnes Viri docti, præsertim S. Scripturam profitentes vocentur, pro futura Provinciali Synodo. Quapropter postulamus à Fraternitate Tua, ut quoq; cum cæteris Ecclesiæ nostræ Gnesnensis Prælatis, pro ipsa Synodo Petricoviam veniat, & nobis ad danda remedia ipsi Religioni collapsæ, auxilio sit, aliter non factura, & benevaleat. *Loviciis die 7. Augusti, A. D. 1557. A superficie Literarum hic titulus habetur* V. D. Stanislao Bedæ *S. Theol: Professori, Præposito* S. Joannis *Gnesn: Fr. in Christo charissimo.*

Habuit autem in exordio ejusdem Synodi doctum & eruditum sermonem ad Proceres, & omnem Statum Ecclesiasticum Stanislaus à Łowicz *dictus* Beda *Ordinis Nostri, quæ incipit:* Largitor omnium bonorũ DEUS, à quo omne donũ perfectum desursum est. *Qua demonstravit Principes sæculi DEO debere severã rationem reddere propter Ecclesiam, quã à Christo tuendam suscipiunt. Idem* Samuel Nakielski *fol. 663. Præfatus* Stanislaus *à* Łowicz *scripsit etiam res gestas* Thomæ *de* Ilkusz *Præpositi Generalis*

ELENCHUS
Contentorum in hoc
ENCHIRIDIO
DE GLORIOSÆ VIRGINIS
MARIÆ,
DEI Genitricis Immaculata Conceptione, fidelis & Catholica aſſertio.

CONCIONES ITEM TRES,
De eadem Conceptione ad Populum
HABITÆ.

In calce adjecta ſunt quædam Religioſorum.
INSTITUTA.

Pſalmo 113.
Non nobis Domine non nobis, ſed Nomini Tuo da gloriam.

CRACOVIÆ,
Ex Officina VNGLERIANA,
Annô Domini 1538.

REVERENDISSIMO in CHRISTO PATRI,

D. THOMÆ ab ILKUSZ.

Artium Liberalium BACCALAUREO, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum S. Hierosolymitani Sepulchri CHRISTI Domini, sub Regula S. AUGUSTINI militantium

PRÆPOSITO GENERALI INFULATO.

STANISLAUS à ŁOWICZ,

Artium Liberalium MAGISTER, ejusdem Sacri Instituti, salutem in Domino precatur sempiternam, & pro recepta S. Religionis consvetudine: debitam offert obedientiam.

TAmetsi in Divos omnes, quorum dignus cultus sub hoc ferreo Christianæ Religionis sæculo, plerisq; in locis diminutus est admodùm, vetus mihi semper fuit religio *Reverendissime Pater Benefactor mi*, & omnium studiosorum *Mecænas Venerande*, præcipuè tamen in Virginem illam, ter quaterq; beatam, & sanctissimam, per quam (ut cum Divo loquar AUGUSTINO) *maledictio Evæ transiit in benedictionem*. Inde factum est: ut cum mecum ipse repeterem miram Tuæ *Reverendissimæ Paternitatis* in eandem sanctam

The-

Theotocon devotionem, mox imitandi ſtudiô accenſus concalui, ut Te *Reverendiſſime Pater*, Patrem & Anteſignanum, pro viribus meis imitarer. Porrò tuis egregijs factis percitus, conſtitui Te ſequi hôc pactô. Formâſti nuperrimè magnis ſumptibûs, & diligenti operâ mauſoleum illud in Conventu Noſtro, Sanctam JESU CHRISTI Domini Noſtri Redemptoris, & Salvatoris referens ſepulturam. Subiit tandem mihi in mentem Sancti Patris AUGUSTINI conformatio, qui in ſermone ſancti Sabbathi Paſchæ Sepulchrum Domini utero aſſimilat virgineo. Indè cognovi ſcriptis Beati AUGUSTINI (quæ Te *Reverendiſſime Pater* non ignorare certò didici) permotam eſſe, ut Sepulchro Domini Glorioſo, & Sacratiſſimæ Virginis MARIÆ (cujus beatus venter portavit CHRISTUM, Salvatorem mundi) Conceptioni illud ſacellum impenſis largioribus erectum dicaverit. Id quod Epigramma, quod inibi faciendum curavit, mihi perſvaſit. Sic demum cum hæc diligentiùs repeterem, uſquè adeò mens mea me torſit, ut non citiùs conquieſcere ſtatuerim, donec etiam pro modulo ingenii

genii talem Ordinis Noſtri Primicerium imitatus, aliquid in Laudes DEI Genitricis Virginis MARIÆ protuliſſem, non putans me hoc pactô vendibiliorem futurum, nam & qui bene latuit, bene vixiſſe fertur: Sed ſingularis in Virginem Matrem devotio & in Te *Reverendiſſime Pater* meus ſincerus affectus hæc omnia fecit. Sæpiùs enim mihi uſuvenit, admirari illam Tuam morum ſvavitatem, nulli non obviam, atq; expoſitam comitatem, quâ fit, ut quocunquè Te converteris: protinùs hilareſcant omnia. Ingenium mirè dextrum, & in omni re verſatile, nuſquam non ſibi præſens, nuſquam non expromptum, Judicium acre & in omni rerùm genere ſingulare; quòd ſuapte natura reddidit feliciſſimum rerum plurimarum uſum. Vocem citiùs obtuderim ſi omnes animi Tui dotes, omnia ſtudia, omnes conatus percenſere voluero, potiùs verò hæc pauca, vel extremis deguſtavi labris, ne naſutior quiſpiam me Tibi *Reverendiſſime Pater* aſſentari exiſtimet. *Nam & nunc pueri naſum Rhinocerotis habent.* Hoc unum precor quidquid eſt lucubratiunculæ, exporrecta ſuſcipiat fronte, & fratribus

meis

meis *T. R. P.* sanctæ obedientiæ filijs illâ suâ benignissimâ porrigat dextrâ. Libentiùs enim progymnasmata hæc nostra amplectentur, si Tuis manibus porrecta fuerint, qui studiosorum mirum quendam agas amatorem. Nec mirum hoc apud me est, quoties enim animi Tui propensionem erga pietatem & bonas literas (quibus utrisq; præemines ipse) repeto, toties mirari desino. Quid enim esse mirum debeat? quod apud Te semper est quotidianum. Sed jam receptui canens ne longior sim me Tuæ *R.P.* ex animo commendo. Dominus Noster JESUS CHRISTUS pro sua in mortales pietate, eandem nobis florentem & diutissimè servet incolumem. Vale *Reverendissime Pater* simpliciter prudentissime.

Ex Sacro Miechoviensi Conventu, Die 15. *Decembris. Annô restitutæ salutis* 1538.

Adversus Anthimarias DISTICHON.

Desine turba fremens, præconia Virginis almæ
Turbare; & verbis impia pone modum.

PRÆFATIO.
In Catholicam assertionem,
de Immaculata Sanctissimæ Virginis
MARIÆ CONCEPTIONE.

PLeriq; veterum Poetarũ, Oratorũ, & Histori-corũ, quos vetus habebat antiquitas, ad falsi alicuj9 Numinis opem recurrere consueverant. Et cœlestia illa philosophantiũ ingenia, quæ sapientiã cœlô evocarunt, absq; cœlesti favore nihil inchoâ-runt aut inchoandũ præceperunt. Pericles ille qui non narrare, non orare, sed fulminare, atq; fulgu-rare credebatur, quoties de re aliqua dicturus e-rat, toties novis se obligabat votis, quo circumfu-sæ plebis favorem assequeretur. Quanto justiùs ipse ad summũ eundemq; verũ rerũ omniũ Opificẽ confugere, & anxius & sollicitus esse debeo, quan-do ejus gloriam in præconijs Sanctissimæ Virginis MARIÆ, juxta piorum & sanctorum determina-tionem Patrum, secundum mensuram donationis CHRISTI, enarraturus sum. Propterea JE-SUM Christum Optimum Maximum, qui ex utero MARIÆ Virginis perpetuæ, genitus est Homo, idemquè refulsit DEUS, supplex imploro, ut qui Alpha est & Omega, meo adsit proposito, quatenus bonis auspicijs, & Musis benè fortu-nantibus ordiar, atq; ea quæ mente disposui, ad optatum finem (ejusdem gratia) ex animi sen-tentia transigam ut pietati Christianæ sint congrua, & pijs auribus non ingrata.

PARTITIO ENCHIRIDIJ.

PRæſentis inſtituti erit oſtendere ante omnia, quomodo totum genus humanũ, originali culpæ factum eſt obnoxium. Deinde inducetur mirabilis Divæ Virginis MARIÆ DEI Genitricis, *ab hac lege communi, DEI ſingulari gratia nulli unquam homini conceſſa exemptio. Poſtremo diluentur quædam atteſtationes contrarium probantes. Simul & axiomata oppoſitum cõcludentia.*

PARS PRIMA,

Septem abſolvetur Capitulis.

CAPUT I.

De primorum Parentum originali juſtitia.

CReavit Dominus DEUS hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, quemadmodum Sacra Geneſis teſtatur hiſtoria omni gratia & rectitudine, quantum illi ſufficiebat, plenum ampliſſimis eum ſua benignitate exornans Gen, 1.

muneribus. Animam & corpus ex quibus compactus erat, plus satis decorans. Porro anima pars nobilior hominis, potentias suas quas interiores vocamus & rationales (quantum à ratione dependent) habuit rectissimas, atq; ordinatissimas. Intellectus rectè suum intelligebat Conditorem, voluntas rectam sequebatur rationem. Memoria eorum tantum gnara, quæ recta fuerunt, & quæ recta ratio infallibiliter indicabat. Nullus enim adhuc intercesserat error. Vires deinceps interiores, seu sensus eum habebant ordinem, ut eorum desiderium non ferreretur nisi in ea objecta, in quæ à recta ratione & electione voluntatis (quæ rectam sequebatur rationem) permittebantur. Corpus deinde adeò subjectum erat Spiritui, ut nihil haberet rebellionis. Sensus etiam exteriores qui corporea habent organa, ordinatissimi, rectitudini intellectus & voluntatis accomodatissimi, ubi ex horum omnium dulcissima proportione & charmonia, originalis justitia resultabat. Quæ (ut ex his quæ dicta sunt colligitur) nihil aliud fuit, quam naturæ humanæ rectitudo, per quam

corpus

corpus animæ subditum erat, vires inferiores superioribus, & totus homo DEO erat obediens. Hæc autem rectitudo non erat ex principijs humanæ naturæ, sed ex largissima Dei bonitate, donum supernaturale in prima conditione homini donatum. Idcircò originalis justitia, quia humanæ naturæ in ipsius origine data, appelata est.

CAPVT II.

De lege Prothoplastis à DEO data.

QVamvis autem homo, amplissimâ gratiâ & optima rectitudine donatus fuerat, voluit nihilominús optimus Conditor DEUS, legem illi præscribere, cui innixus, Divinæ obediret voluntati. Eam vero legem tulit admodùm facilem, quæ manuduceret ad æternam beatitudinem. Hæc autem lex fuit. *Plantaverat DEUS Paradisum voluptatis à principio in quo posuit hominem quem formaverat.* Genes. 2.
Produxitq; Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum svave, lignum etiam vitæ in medio Paradisi. lignumq; scientiæ boni & mali. Tulit ergo DEUS hominem & posuit

eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum. Præcepitq; ei dicens: Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas. In quacunq; enim die, comederis ex eo, morte morieris. Profectò lex ista jugum svave fuit, & onus leve, præceptum admodùm facile. Prohibuerat verò Dominus DEUS fructum ligni scientiæ boni & mali, ne illum manducarent. Non quia cœteris arborum fructibus esset nobilior, verùm ut hac parva & facili lege ad obedientiam manuduceretur, quatenus Divinæ obediens voluntati efficeretur perpetuò beatus. Sed iniqua sors malè tulit. *Homo cum in honore*

Psal. 48. *esset non intellexit.* Contempsit præceptum Divinum, & prævaricationem mandati, factus est morti obnoxius. Optimum bonum amisit, malumquè maximum invenit, æternæ mortis factus mancipium, filius iræ, & servus diaboli, à Dei clara visione perpetuò separandus, nisi ille succurrisset, qui *de peccato damnavit*

Rom. 8. *peccatum in carne.* Mors etiam temporalis pecccato inducta est, quæ etiamnum nota pænæ peccati apparet in cadaveribus hominum, quæ

cœte-

cœterorum animantium cadaveribus ut contemptibiliora, ita deformia & abjectiora videntur.

CAPVT III.

De miſerabili primorum Parentum lapſu.

JAm quid eò dementiæ induxerit primos noſtros Parentes. Moyſes in Geneſi reſtatur. Diabolus (ſine controverſia) perpetuus humani generis hoſtis, cognoſcens primum hominem cum omni ſua poſteritate in illum ſuper-cœleſtem locum, (ex quo DEI juſtitia cum ſuis Angelis apoſtatis, & deſertoribus ejectus fuerit) ſubſtituendum. Invidus omnium artifex malorum, technis ſuis fallacibus eum invadere, & rectiſſimám illam ordinatiſſimamq; mentis charmoniam, veluti quandam arcem expugnare, conatus eſt. Mox vafer & fallax infirmiorem hominis aggreſſus eſt pàrtem: Evam matrem omnium primam, quam ita alloquitur; *Cur præcepit vobis DEUS ut non comederetis ex omni ligno Paradiſi?* cui mulier reſpondit: *de fructu lignorum quæ ſunt in Paradiſo veſcimur, de fructu verò ligni quod eſt in medio Paradiſi,* Geneſ. 3.

præce-

præcepit nobis DEUS ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Audiens nutantem mulierem calidissimus serpens, dicentemq; ne fortè moriamur, stultæ mulieris fortiùs impugnat animum. *Nequaquam* (inquit) *moriemini, scit enim DEUS quod in quacunq; die comederitis, ex eo aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij, scientes bonum & malum. Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum; & pulchrum oculis, aspectuq; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq; viro suo, qui comedit, & aperti sunt oculi ejus.*

CAPVT IV.

Quæ mala prævaricationem illorum subsecuta.

POstquam legem DEI sui, & præceptum Domini transgressi sunt, illicò originalem perdiderunt justitiam, facti filij iræ, statimq; virtus sensitiva rationali rebellis facta est, caro quippe incæpit concupiscere adversus Spiritum, & spiritus adversus carnem. Et nata est *alia lex in corpore repugnans legi*
Rom: 7. *mentis*, ut Apostolus meminit, Augustinus quoq; huic sententiæ sub-

scribens in hunc modum loquitur *lib:* 13. de Civit: DEI *Cap.* 12. *Senserunt novum motum inobedientis carnis suæ, tanquam reciprocam pœnam inobedientiæ suæ.* Hinc tandem factum est, usq; modò odium intestinum, pugna atrox, conflictus perpetuus, idemq; supra modum difficilis. Sed & aliud successit calamitatis genus, ejecti enim sunt præter omnem moram è Paradiso voluptatis, in hujus mundi miserrimam vallem, sui sceleris pœnas perpetuò luituri, quas illis Conditor post prævaricationem indixit, dicens ad virum. *Quia audîsti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, cunctis diebus vitæ tuæ, spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbas terræ, in sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec revertaris in terram de qua sumptus es, quia pulvis es & in pulverem reverteris.* Ad mulierem autem stultam seductricē: *multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Gen: 3.

CA-

CAPUT V.

Quod in omnes hoc transgressionis malum est transfusum.

CErtum jam est, justitiam originalem primis Parentibus à DEO gratuitò fuisse concessam, quæ in omnes ab Adam propagatione naturali descendentes fuisset transfusa, si non peccâssent, verum postquã cum sua conjuge peccaverunt, DEI mandato non obedientes, non modò in eos maledictio venit, sed & in posteros originaliter transfusa est lege communi, & quod in illis actuale, in posteris factum est originale. Testantur hoc infandum malum & mæstum dolorem scripturæ sacræ testimonia. Beatus ille Rex & Propheta in Psalmis, ita apud Dominum DEUM expostulat. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Ubi de peccato originali loquitur in prole, & non actuali in Parente. ita D. BONAVENTURA *in 2dum dist:* 31. interpretante, Idemq; Propheta *Psal:* 13. *Omnes* (inquit) *declinaverunt simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usq; ad unum.* Et

Psal: 50.

Psal:

Pſal: 115. *Omnis homo mendax.* JOB vir ſimplex & rectus coram Domino ita loquitur. *Quis poteſt facere mundum, de immundo conceptum ſemine?* ſtatimq; reſpondet. *Nonne tu qui ſolus es?* Idemq; alias *Quid eſt homo ut immaculatus ſit, & ut juſtus appareat natus de muliere:* ubi juxta ſeptuaginta interpretes ſcriptum eſt *Nec infans cujus eſt vita unius diei ſuper terram.* Et rurſus *Numquid juſtificari poteſt homo comparatus DEO, aut apparere mundus natus de muliere.* Sapiens *Eccl:* 41. *cáp.* ita ſcriptum reliquit: *Væ vobis qui dereliquiſtis legem altiſſimi, ſi nati fueritis, in maledictione naſcemini, ſi mortui fueritis; in maledictione moriemini.* Clamát etiamnùm Sanctus Propheta ESAIAS. *Omne caput langvidum, & omne cor mœrens, à planta pedis uſq; ad verticem non eſt in eo ſanitas:* idemq; *Omnes nos quaſi oves errávimus unuſquiſq; in viam ſuam declinavit.* PAULUS Servus JESU Chriſti, & Gentium Apoſtolus *Omnes* (inquit) *peccaverunt, & egent gloria DEI.* Et pauló poſt: *Sicut per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit: & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt: in quo*

Job. 14.
Job. 15.
Job. 25.
Iſaiæ 1.
Iſa: 53.
Rom 3.
Rom 5.

quò omnes peccaverunt. Ideò in Persona lapsi hominis in eadem Epistola quærulatur dicens. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Sed ne longiores simus, advocemus ad hoc negotium Sanctorum Patrum assertiones. B. AUGUSTINUS *in lib: de fide ad Petrum,* & citantur verba illius *de consecra: dist: 4.* ita scripsit. *Firmissimè tene & nullatenus dubites, omnem hominem qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci, impietati subditum mortiq; subjectum, & ob hoc naturaliter iræ nasci filium.* Idem *in sermone de verbis Apostoli 29.* hoc ipse confirmans dicit. *Quis enim qui non habet peccatum? sicut scriptura dicit; Nec infans cujus est vita diei unius super terram.* mox addit. *Talis parvulus peccatum non fecit, sed de parentibus traxit. Ergo nullo modo quisquam potest dicere se non habuisse peccatum.* Hactenùs AUGUSTINUS. Sanctus etiam HIERONYMUS *in lib: ad Ctesiphontem de libero arbitrio, contra Pelagianorum hæresim,* inducit

Rom. 7.

Job: 70.

Regium Psaltem, Sapientem, & Beatum Apostolum, quorum testimonijs omnes homines admodùm esse fragiles, & in peccato natos approbat, id quod lib: 2. contra Rufinum & in plerisq; locis alijs ostendit. Divus, Ambrosius in suis commentarijs super Epistolam ad Rom: subscribens verbis Apostoli. *Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Uere* (inquit) *infelix homo, qui in hanc hæreditatem prævaricationis successit; hospitem secum habens peccatum, per quod ad illum habet sathanas aditum, gradus enim fabricavit Adam, per quos ad filios ejus expoliator ascendit &c.* Rom. 7.
Sed & B. Gregorium advocemus lib: 17. moral. ita dicentem. *Humana quippè justitia auctori comparata injustitia est; quia etsi in ipsa sua conditione homo persisteret, Creatori non posset æquari creatura, cui tamen ad graviora defectus pondera accessit & culpa quam serpens insidians intulit, mulier informata persvasit, unde nunc quia homo per mulierem culpæ subditam nascitur, reatus primæ infirmitatis in prole propagatur, & quia in radice putruit ramus, in conditionis suæ viriditate minimè subsistit.* Innumeri Doctores Catholici possent ad hoc

advo-

advocari negotium, verùm brevitatis causa missos fecimus, constat enim luce clariùs, omnes Catholicæ Ecclesiæ Patres in eam sententiam pedibus ire. Ratione tali etiam hoc ipsum ostendi potest. Quando aliquibus ex mera gratia aliquid confertur hoc pactô, quod per primos debeat transfundi in posteros, tunc ablato illo à primis, consequenter etiam aufertur à posteris; jam manifestum ex supradictis originalem justitiam datam primis Parentibus, ut per illos transfunderetur in posteros ab eis propagatos, & in ipsis originatos, nisi peccassent. Igitur dùm legem Dei primi Parentes inverterunt & prohibita admiserunt, Deum offendentes non modò illis, verum toti posteritati justitia originalis est adempta. Prætereà sicut primis Parentibus Dei præceptum custodientibus originalis justitia usq; adeò largiter data fuisset, ut per eos in posteros transfunderetur. Ita à sensu contrario primis Parentibus Dei præceptum transgressis, etiam in posteris originalis rectitudo perijt. Adde quod de lege communi servo-

rum filij servi sunt: primi Parentes per peccatum in durissimam abierunt servitutem; quoniam venundati sub peccato. Igitur & omnis eorum posteritas.

CAPVT VI.

Quid sit peccatum originale, quod in nos per Protoplastorum transgressionem delapsum est.

PEccatum originale (juxta communem Doctorum Catholicæ Ecclesiæ sententiam) est carentia justitiæ originalis debitæ in primis Parentibus, amissæ ex mandatiDivini transgressione, in omne genus humanum ex eorum peccato actuali delapsa, obligans nos ad mortem temporalem, & æternam, aliasq; pœnas huic carentiæ comites proximas. Cum audis *peccatum originale* jam scire convenit, quod secernitnr ab actuali, non enim est in nobis aliquis malus actus peccatum otiginale, quoniam malus actus ex mala electione voluntatis oritur, videre autem licet in pueris nec malam nec bonam esse electionem, cùm usum rationis nondum habeant, nec

possunt

possunt operationes animæ intellectivæ exercere, per quas possent commereri aut demereri & tamen infantes non sunt immunes à peccato originali. Neq; etiam peccatum originale est aliquis malus habitus: Iste enim fit ex actibus frequenter reiteratis. Dicitur verò, *carentia* quoniam non est de genere potentiarum. Additur *debitæ* quia protoplasti ex mandato Domini Dei, justitiam originalem servare tenebantur. Deinde sequitur: *In primis parentibus amissæ ex mandati Divini transgressione*; ubi insinuatur origo & causa peccati, & amissionis justitiæ originalis. Quoniam carentia justitiæ originalis ex mandati Divini prævaricatione venit, quæ in omne genus humanum delapsa est, & hæc dicitur peccatum originale, quod omnes infecit homines. Quod sic patet. Primi Parentes instituti fuerunt, à Deo, non ut quædam Personæ singulares sed sicut quædam principia totius humanæ naturæ, ab eis in posteros derivandæ, simul cum beneficio Divino præservante à morte, & aliis defectibus tam corporalibus, quam Spiritualibus. Ideò tota

natura

natura per eorum peccatum in posteris vitiata atq; tali destituta beneficio, mortem & defectus multifarios incurrit, insuper damnationem corporis & animæ saltim quantum ad pænam damni. Propterea in definitione peccati originalis addita est hæc particula: *Obligans nos ad mortem temporalem & æternam aliasq; pænas huic carentiæ comites proximas;* ubi tres appendices subinseremus.

Appendix Prima.

QVilibet homo per propagationem carnis ab Adam descendens, statim ut in utero matris formatur, huic prævaricationi fit obnoxius. Quoniam per conceptionem & unionem corporis & animæ efficitur persona, quæ fit per propagationem filia Adæ, debitrix originalis justitiæ quam non habet. Ideoq; est sub peccato quod originale nominatur: quia ab Adam omnium origine processit; simulq; mox ab origine inficit. Undè & Apostolus naturale vocat ad Eph: 2do scribens *Eramus naturâ filij iræ.* Et licet nos non peccavimus, cum tamen propagati sumus ex lumbis Adæ, ipsiusq; participavi-

cipavimus naturam, cujus Persona omnes homines infecit, jam culpæ originali sumus obnoxij, quæ contrahitur ex Adam per carnem ab eo propagatam.

Appendix altera.

LIcet anima non sit ex traduce, culpa tamen Adami transit in animas posterorum, mediante carne per concupiscentiam generata, ut inquit D. Augustinus in Epistola ad Hieronymum, de origine animæ. Nam sicut ab anima Adæ ipso peccante infecta est caro, & ad libidinem prona facta, sic caro seminata secum trahens infectionem, vitiat posterorum animas. Et quemadmodùm anima primi Parentis prius peccavit, atq; corrupit ipsam carnem Ita rursus corruptio carnis corrumpit animam.

Appendix postrema.

TOtá natura humana per peccatum primorum Parentum vitiata, & originali justitia destituta, mortem temporalem, & multos defectus, simulq; damnationem, corporis & animæ æternam incurrit.

Primò

Primò temporalem, quam & si ex natura habuissemus, quia ex contrarijs, & pugnantibus qualitatib9 compacti, sicut & Adam: Tamen Dei magna benignitate & singulari gratiâ, contra naturalem inclinationem à morte, & alijs defectibus corporalibus, simulq; Spiritualibus fuissemus servati, & perpetua donati immortalitate. At nunc post lapsum, simpliciter propriæ naturæ relicti; morimur ex necessitate, quemadmodùm & cœtera animantia, quæ etiamnum ex contrarijs sunt composita. Deinceps verò, & in mortem æternam tota humana natura incidit, quoniam peccatum originale omnes ad æternam obligavit damnationem, & Divinæ visionis carentiam, à qua misericorditer, per Passionem Salvatoris & Mediatoris DEI, & hominum Christi JESU, qui *chirographum peccati quod adversum nos erat, delevit, liberati sumus.* Coloss. 2. Huic rei adstipulatur Aug: in Enchiridion cap: 10. dicens. *Sed homo habet & pœnam propriam, quâ etiam corporis morte punitus est.* *Porrò mortis*

 ei sup-

ei supplicium Dominus comminatus fuerat si peccaret, sic eum munerans libero arbitrio, ut tamen regeret imperio, terreret exitio, atq; in Paradisi felicitate, tanquam in umbra vitæ (unde justitia custodita in meliora conscenderet) collocavit. Hinc post peccatum exul effectus, stirpem quoq; suam quam peccando in se tanquam in radice vitiaverat, pœna mortis & damnationis obstrinxit. Ut quidquid prolis ex illo, & simul damnata (per quam peccaverat) conjuge per carnalem concupiscentiam, in qua inobedientiæ pœna simul retributa est, nasceretur, traheret originale peccatum, quod traheretur per errores doloresq; diversos, ad illud extremum cum desertoribus Angelis vitiatoribus, & possessoribus consortibus suis sine fine supplicium. Hactenus ille. Idem etiã alias. *Homo si Creatori suo tanquam vero Domino subditus, præceptum ejus pia obedientia custodiret, in consortium transiret Angelicum, sine morte media, beatam immortalitatem sine ullo termino consecutus. Si autem Dominum Deum suum libera voluntate superbe atq; inobedienter usus, offenderet, morti addictus bestialiter viveret, libidinis servus, æternoq; post mortem supplicio destinatus.*

lib. 12. Civit. Dei cap. 21.

Sed

Sed ultra hæc mala, mortem scilicet temporalem, & æternam, in miserias multas & pænales defectus homo incidit. Sunt autem innumeri, ut esurire, sitire, fatigari, laborare, dolere, infirmari, & id genus alij multi. Ubi animadvertemus paulò diligentiùs, istos defectus dupliciter comparari ad hominem. Primò inquantum homo in statu innocentiæ permansisset, hoc stante, puri essent naturaliter, & naturalia accidentia appellarentur. Non incidisset tamen in hos defectus homo Dei gratia servatus, quamvis propriæ naturæ derelictus, haberet, non tanquam defectus pænales, sed ut accidentia purè naturalia. Hoc ipsum indè manifestè apparet, quia homo habuit in se calorem naturalem, qui cibo & potu, (ut servaretur) egebat. Hinc tandem oportebat hominem esurire & sitire quemadmodùm algere, & fatigari &c Præterea homo finitæ fuit virtutis, quidquid autem finitæ virtutis est, illud terminari

necessum est. Igitur suapte natura ut mortem, ita & hos defectus subivisset. Licet hanc videre naturalem necessitatem, etiam in cæteris animantibus, quorum substantia est ex contrarijs & repugnantibus composita qualitatibus, quarum una agit in aliam, ideò infirmantur, moriuntur quemadmodùm esuriunt, sitiunt & fatigantur. Postremò defectus isti considerantur & referuntur ad hominem liberam voluntatem (quâ tenebatur obedire DEO) habentem. Hoc modo habent rationem pœnæ, licet secundùm se naturales sint. Dum enim homo DEI præceptum stulta prævaricatione contempsit, illud quod in eo debuit suspendi, & ab eo auferri per gratiam, factum est illi in pœnam. Undè sequitur quamvis defectus isti communes sunt brutis & hominibus. In brutis tamen pœnæ rationem non habent, quoniam ejusmodi vitia in illis damnabilia putare ridiculum est. Juxta D. Augustini sententiam lib: 12mo

de Civitate Dei cap. 4to. Purè enim naturaliter, & ratione principiorum naturalium illis insunt hominibus, rursus non purè naturaliter, quoniam (ut diximus) ab his per gratiam liberati essent, si perstitissent in innocentia, nunc jam postquam homo naturæ propriæ relictus est, & naturales sunt, & pænales defectus.

CAPUT VII.

In quo peccatum Originale subsistit.

PEccatum originale in anima est formaliter, in carne materialiter. Diximus in anima *formaliter* quemadmodùm enim anima est subjectum virtutis, ita & vitij. *Quoniam privativè opposita (ut in post prædicamentis inquit Philosophus) considerantur & fieri habent circa idem subjectum.* Est autem hoc mali in anima intellectiva. Non enim in sensitiva subsistere potest, quia extensa est in qua Spirituale accidens esse non potest. Est etiam

in carne materaliter & originaliter In carne fomes & concupiſcentia, in ſpiritu originalis juſtititiæ carentia, ſed de his hactenus.

Ex his quæ ſuperiùs compendio deſcripſimus, hanc eliciemus veritatem.

Omnes homines ab Adam, per carnis propagationem naturaliter procedentes (ob hoc quod in eos originale malum transfuſum eſt) de lege communi, originali peccato ſunt obnoxij.

Veritas dicti probatur hâc ratione.

IN omnibus deſcendentibus ab Adam per originationem naturalem, reperitur natura in Adam inſtituta, quæ in eodem fuit juſtitia originali ornata: quam dùm Adam perdidit, omnes homines infecit, qui in eo fuerunt tanquam in radice. Nec abſurdè ad hanc rem alludunt verba Porphirij illius Philoſophi quidem, ſed ſceleratæ mentis, atq; fidei hominis, qui protulit dicens: *Participatione ſpeciei omnes homnes ſunt unus homo.*

Dictum

Dictum est. Quicunq; per carnis propagationem ab Adam descendunt præter Christum Dominum, qui non ex virili semine, sed Sancti Spiritus adumbratione, & virtute Altissimi in Sacrosancto Virginis utero, candido & immaculato conceptus & natus, Angelo paranympho adnuntiante: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Lucæ 1. Ubi subnotare operæ pretium visum est, quod Christus Dominus tantummodò secundum corpulentam substantiam ab Adam propagâtus est, & non rationem seminalem, quia ex purissimis Sacratissimæ virginis sangvinibus, operatione Spiritus Sancti, in utero Virgineo mirabili virtute collectis, conceptus est. Ut JOANNES DAMASC: lib. 3tio de fide orthodoxa cap: 2do meminit. Additur etiam *de lege communi*: propter Virginem gloriosam MARIAM, quæ gratiâ singulari & privilegiô, nulli unquam hominum concesso, ab hac lege exempta est. De hoc privilegio Virginis Sacra-

tissimæ

tissimæ considerare pergamus, quod in secunda parte præsentis Instituti, Deo propitio, & ipsa apud DEUM patrocinante, ostendere constituimus.

ALTERA PARS, PRÆSENTIS INSTITVTI.

In qua inducetur mirabilis Virginis MARIÆ DEI Genitricis ab hac lege communi (Dei singulari gratiâ) *exemptio*.

CErtúm est Sanctam Ecclesiam Catholicam nunquam errare posse. Dirigitur enim ab infallibili agente Spiritu Sancto. Est e-
1. Thim. 3. tiamnum *firmamentum veritatis & columna fidei*. Quidquid igitur ipsa determinavit, & inviolabiliter tenendum conclusit, piè servandum est. Cùm tandem Festum Immaculatæ Conceptionis Sancta Ecclesia solenniter celebrari constituerit, ut constat ex Breviario Romano. Summus deinde Romanus Pontifex SIXTUS ejus Nominis 4tus, amplissimis indulgentijs eandem

dem solennitatem dotavit Anno Dñi 1476. ut Christi fideles eò alacriùs & devotiùs ad recolendam DEI benignitatem & misericordiam, quam in hujus Sanctæ Virginis ab omni labe præservatione specialiter ostendere, atq; exhibere (pro sua in mortales pietate) dignatus est, permoverentur; à Sanctæ Ecclesiæ sanctione recedere grandis impietas est. Nec temerè hoc festum celebrandum, injunxit Ecclesia, quoniam multis miraculis, & Divinis revelationibus Conceptio immaculata sanctæ Virginis illustrata est. Voluit enim DEUS Optimus Maximus, qui mirabilium operum Patrator est Omnipotentiam suam demonstrare singulari modo in hujus Sanctæ Virginis Conceptione, & præservatione ab originali hominũ malo. Idcircô pro laude DEI Optimi Maximi & perpetuo honore Virginis Sacratissimæ fusiùs de tanto dicemus beneficio Virgini singulariter concesso. Consideremus tantummodò, qua ratione, & quibus modis, Virgo Immac: Dei Gen: Maria, à peccato

originali & lege communi, juxta quam omnes in peccato concipiuntur, & nascuntur fuerit exempta. Facilè deinceps cognoscemus DEI magnam virtutem. Ex sententia Patrum Orthodoxorũ modos emundationis quinque invenimus.

Primus. Quando quis emundatur post lapsum, hôc modô Prothoplasti mundati sunt, & Passione CHRISTI innocentissima redempti.

Alius. Cum quispiam à mortali peccato præservatur, & post contractum originale sanctificatur, nec usquam amplius mortaliter peccat. Ita JOANNES Baptista, HIEREMIAS Propheta, in utero Matris sanctificati sunt à Domino, Et cæteri aliqui.

Tertius emundationis modus.

Quandò post contractum originale, & post lapsum in mortale, DEI miseratione homo relevatur, atq; ejusdem gratiâ sic firmatur, ut ampliùs cadere non possit. Ad hunc modum Apostoli sunt emundati, per Spiritus Sancti missionem

sionem, quando supra singulos igneæ lingvæ species appparuit. Qui mox suscepto Spiritu Sancto, usq; adeò obfirmati sunt, ut nunquam postea peccato mortali fœdarentur.

Quartus, Modus per lavacrum regenerationis: hôc modô infantes parvuli & adulti baptisati. In Nomine PATRIS, & FILIJ, & SPIRITUS Sancti, omnesq; fidei Christianæ asserti emundantur.

Quintus, Modus perfectissimus: Quandò aliquis homo, qui suapte natura originali peccato posset infici, singulari Dei gratia prævenitur, & præservatur à lapsu, hôc modô Beatissima Virgo est præservata, & virtute Passionis Christi præservativè redempta. Quod testatur Ecclesia in Oratione solennitatis Festi Conceptionis B. Virginis orans, *ut sicut ex morte Filij tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, ita nos quoq; mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas.* Hunc perfectissimum emundationis modum: D. Ambrosius super Lucam, istis subindicavit verbis:

Nec

Nec mirùm si Dominus redempturus mundum, operationem suam tunc inchoavit à MARIA, ut per quam salus omnibus parabatur, eadem prima fructum salutis hauriret, ex pignore.

Iste emundationis modus ut magnam DEI benignitatem, ita & mirabilem ejus bonitatem ostendit, quæ ex his manifestiùs apparebunt, statim adferendis, tribus veritatibus.

PRIMA VERITAS.

DOminus & Salvator noster Christus JESUS, præservans suam Sanctissimam Matrem à peccati originalis macula, gloriosior, & potentior, atq; mirabilior est Redemptor Virginis, plusquam alterius cujuscunq; hominis: quia ipsam ante lapsum liberavit, cœteris autem post lapsum, auxiliatus est. Hinc verò apparet gloriosiorem illum esse Liberatorem, qui ante lapsum, quam post lapsum liberat. Quemadmodùm ille præsentior est auxiliator, qui aliquem in foveam jam jam proximè casurum retinet, quam qui post post lapsum ex ea levat.

SECUNDA VERITAS.

VIrgo glorioſa MARIA, ſpeciali & ſingulari gratiâ Spiritus Sancti præventa, nunquam originali culpa fuit maculata, nec Divinæ indignationi aliquando ſubjecta; peccatum quippe iræ filios facit. Sed cum Virgo (DEI benignitate) nullum contraxit peccatum, conſequens eſt, ipſam ſemper Dei gratiæ filiam permanſiſſe. Hanc aſſertionem multis Sanctorum Doctorum atteſtationibus clariſſimè probare licet. B. Auguſtinus in lib: de natura & gratia cap. 36to, hanc reliquit ſententiam. *Excepta itaq; Sancta Virgine MARIA de qua propter honorem Domini, nullam prorſus, cum de peccatis agitur, habere volo quæſtionem. Unde enim ſcimus, quod ei plus gratiæ collatum fuerit, ad vincendum ex omni parte peccatum, quæ concipere & parere meruit, quem conſtat nullum habere peccatum. Hâc ergo Virgine excepta ſi omnes illos Sanctos, & Sanctas cum viverent, congregare poſſemus Utrum eſſent ſine peccato? Quid fuiſſe reſponſuros putamus, ſi hoc interrogari potuiſſent, una voce clamaſſent*

maſſent. *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus, & veritas non eſt in nobis.* Idem etiam
1. Joan: 1.
ſermone ad Fratres in Eremo 20. *Propterea MARIA electa eſt, & ſuper omnes creaturas præelecta, omnibus gratijs fæcundata, omni virtute & ſanctitate in utero repleta, ut de mundiſſima Matre mundiſſimus Filius naſceretur. Et ſicut in cœlo Filius habuit Patrem immortalem & æternum, ſic & in terra haberet Matrem omni corruptione carentem, Igitur in cœlo qualis eſt Pater, talis eſt Filius, & in terra qualis eſt Mater, talis eſt ſecundum carnem Filius.* Ampliùs etiam in lib: de quinq; hæreſibus in Perſona Chriſti ita loquitur. *Si potuit inquinari Manichee Mater mea cum ipſa facerem; potui & ego inquinari, cum ex ea naſcerer*, & paulò poſt. *Hanc quam tu deſpicis Manichee, Mater mea eſt, & de manu mea fabricata.* Beatus AMBROSIUS lib: 2do de virginibus. *Quid nobiliùs DEI Matre?* Deindè paulò poſt. *Tanta eſt hujus Virginis excellentia ut ab ejus narratione balbutiant omnes lingvæ, excutiantur omnes intelligentiæ, deficiant*

omnes

omnes similitudines parabolicæ. Et in sermone quodam in quo advocat Esaiam dicentem. *Egredietur virga de radice Jesse, hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Sanctus HIERONYMUS in sermone de Assumptione B. Virginis ad Paulam & Eustochium. *Erat* (inquit) *candidata, multis meritorum virtutibus, & dealbata, nive candidior, Spiritûs Sancti muneribus, simplicitatem columbæ in omnibus repræsentans. Quoniam quidquid in ea gestum, totum puritas & simplicitas, totum veritas & gratia fuit, & ideo Immaculata: quia in nullo corrupta. Quam si diligentiùs aspicias nihil est virtutis, nihil est speciositatis, nihil candoris, gloriæque, quod in ea non resplendeat.* Et in eodem sermone constat Beatam & Gloriosam Virginem Mariam, in quam supervenit Spiritus Sanctus & Deus totus illapsus, novem mensibus portatus in utero, ut credendum est, ampliora promeruisse virtutum privilegia, & percepisse gratiam ab Angelis etiam collaudatam. Ut & si mirabilis est eorum virtus, & firmitas

perpetuitatis, mirabilior tamen in MARIA, quam obumbravit virtus Altissimi. Ut ultra omnem virtutem sit Angelicã, quod factum est in ea, & admirabile cunctis sæculis Sacramentum.

Richardus de S. Victore in sermone qui incipit. *Necdum erant abÿssi* Integritatem Virginis Gloriosæ sic commendat. *Non decuit ut caro MARIÆ qualicunq; foret obnoxia culpæ. Nam Dei sapientiâ indignum credimus, ut quam ad lucem Gentium destinavit pravitatibus & illecebris sineret involvi. Nec enim ingratus fuit Matri, qui Patri Matriq; præcepit honorem exhiberi.* Anselmus in lib: de exordio humanæ salutis. *Si quid originalis peccati in propagine Matris DEI extitit, illud propagantium non propagatæ fuit. Deus enim castaneæ confert: ut inter spinas & à spinis remota concipiatur, alatur, & formetur. Non potuit hoc Filius facere Matri suæ: planè potuit & voluit. Quod si voluit & fecit.* Bernardus devotus, & mellifluus in sermone de Assumptione. *Quænam poterit lingva etiamsi Angelica sit, dignis extollere laudibus*

Virgi-

Virginem Matrem? Matrem autem non cujuscunq́, sed DEI. Quænam vel Angelica puritas Virgini illi audeat comparari, quæ digna fuit Sacrarium fieri Spiritûs Sancti & habitaculum Filij Dei. Idem in sermone de Nativitate Virginis. *Qui orditur de gaudijs ad gaudia. Caro Mariæ ex Adam assumpta, maculas Adæ non admisit.* Antesignanus Prædicatorij Ordinis Divus Dominicus, in Tractatu de Corpore Christi, puritatem Virginis sic commendat. *Sicut primus Adam fuit ex terra Virgine, & nunquam maledicta formatus, ita decuit in secundo Adam fieri, scilicet ut ex terra mundissima* (de qua Isaias: *aperiatur terra & germinet Salvatorem*) *nasceretur.* Doctor Sanctus Thomas de Aquino ejusdem celebris Instituti, in expositione salutationis Angelicæ istis Virginem commendat verbis. *Maria purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec mortale, nec veniale peccatum incurrit.* dist: 44.
Idem in scripto super primum sententiarum. *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideo potest ali-* quæ: 3.

quod creatum inveniri quô nihil in rebus creatis esse potest. Et talis fuit puritas Virginis gloriosæ, quæ ab originali & actuali culpa libera fuit, hæc tamen puritas sub DEO fuit. Quoniam nisi præservaretur, peccare potuit. Advocemus etiam Ildephonsum Toletanũ Archiepiscopum, in lib: contra indevotos B. Virginis scribentem. *Beata* (inquit) *Maria nisi in utero Matris sanctificata fuisset, minimè ejus Nativitas colenda esset, sed quia auctoritate Sanctorum Patrum dignè* (ut novit vestra charitas) *veneratur. Constat eam ab omni originali peccato fuisse immunem, per quam non solùm Evæ maledictio soluta, verum etiam omnibus benedictio est condonata. Nullis igitur postquam nata est delictis sub jacuit, nec etiam originale peccatum in utero sanctificata contraxit.* At ne plus justò longiores simus, & ne quispiam in media die lucernam accendi putet, satis visum est istis Sánctorum Patrum testimonijs, hanc veram probare assertionem. Sed dùm hœc ita perstrinxeramus compendio, subijt nobis in mentem immoderatus quorundam dispu-

disputandi ardor. Quem non aliud genuit & peperit quam multa loquacitas, & fidei navigium gubernaculo destitutum. Idcircò stetit animi nostri sententia inducere rationes probantes Beatissimam Virginem MARIAM, ab originali peccato prorsùs fuisse immunem.

Prima ratio, ex parte Christi inquantùm ab æterno est prædestinatus à Patre, ut genus humanum carne suscepta redimeret juxta verbum Apostoli. *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem. Qui prædestinatus est Filius Dei in virtute, secundùm Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum.* Ratio sic formatur. Mundissimus Filius de Matre mundissima debuit nasci; Christus mundissimus Filius est. Igitur & Mater mundissima. Porrò si Virgo MARIA fuisset in originali peccato concepta, tametsi posteà mundaretur, atq; sanctificaretur, non fuisset mundissima. Illud enim propriè mundissimum dicitur, quod nunquam fuerat contaminatum, sed semper extitit, & est excellenter mundum. Decuit verò

Rom. 1.

mundissimam fieri Matrem propter Filium (qui ex ea nasciturus erat) mundissimum, qui *peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore*
1. Pet. 2. *ejus.*

Altera ratio, ex parte excellentiæ Christi. Quidquid testatur excellentiam Christi, hoc illi tribuendum est. Virginem Matrem sine originali culpa conceptam asserere, & firmiter tenere, excellentiam Christi ostendit. Igitur eam fuisse immunem, ab hoc malo tenendum est. Prima propositio verum enuntiat, quoniam omnis excellentia Christo tribuenda est. Altera rursus propositio, hoc modo ostenditur vera dicere: Christum excellentissimum & mundissimum, habere Matrem aliquandò maculatam, & peccati originalis fœditate contaminatam, non illustrat gloriamChristi: quando quidem claritas Parentis ilustrem faciat prolem. Undè quidam dixit, *fortes ex fortibus nasci, & illustres parentes gloriosos generare filios.* Ideoq; propter excellentiam Christi indubiè credendum est, Beatam Virginem

ginem Mariam speciali DEI Omnipotentis gratiâ, nulli unquam peccato fuisse subditam.

Tertia ratio, ex parte perfectissimæ Redemptionis, quæ ut faciliùs pateat hanc præmittemus subdistinctionem. Duplex est modus redemptionis in genere, unus præservationis à lapsu, alter liberationis post lapsum. Isti duo modi non sunt frustranei. Quoniam: *Deus & natura nihil faciunt frustra,* inquit Philosophus. Secundo modo homines aliqui sunt redempti; redemptione verò præservante à lapsu nemo præter Virginem redemptus est, alioqui si eam hoc modo redemptam negaverimus, primus redemptionis modus inutilis erit; quoniam suum non sortiretur effectum. Alio autem redemptionis modo universum genus humanum redemptum; post lapsum scilicet. Simile videre facilè est in actionibus humanis, aliquis liberari potest præservativè à lapsu, ut si cæcum quispiam adjuvet ne cadat in foveam. Etiam & altero modo, cum eum jam lapsum

1. Cæli 3. de anima

psum adjuvat & extrahit, atq; post lapsum servat.

Quarta ratio, ex parte perfectissimæ reconciliationis generis humani. Perfectissimus humani generis Reconciliator, perfectissimè debuit humanam naturam reconciliare DEO Patri, saltim secundùm unum modum, qui specialiter locum haberet in uno supposito, si non in omnibus. Christus Dominus perfectissimus Reconciliator est, cui nihil imperfectionis tribuendum. Idcircò naturam humanam perfectissimè debebat reconciliare, adminùs in uno individuo. Perfectissimus autem modus reconciliationis fuit tollere peccatum, quod DEO Patri vehementer in humana natura displicuit, & præservare ab eo. Hoc non factum est in aliquo, saltim in Virgine Gloriosa. Constat igitur eam ab omni peccati sorde alienam fuisse.

Quinta ratio, ex origine Christi. Origo Adæ non erat tantæ sanctitatis sicut Christi, quoniam Christus sanctissimus, ideò etiam ejus

Sanctis-

Sanctissimam originem fieri oportebat. Adam creatus est de terra nulli maledictioni subacta, sed prorsùs munda, & valde bona. Longè magis Christum ex terra mundissima utero virgineo scilicet procedere conveniebat. De quo ita David in Spiritu cecinit. *Benedixisti Domine terram tuam.* Et Esaias. *Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* At si Virgo MARIA prius esset originali peccato fædata, deinde mundata, origo Christi non fuisset sanctior origine Adæ, quod dicere contra honorem Christi, & ejus sanctissimæ Matris, est temerè loqui.

Psal: 84.
Isa: 45.

Sexta ratio, DEUS est Omnipotentissimus, Sapientissimus, Optimus. Quia Optimus ex sua liberalissima Bonitate voluit Virginem Matrem fieri castissimam, quoniam Sapientissimus scivit eam ab omni labe præservare, etiam ut Potentissimus potuit hoc facere, potestate sua primaria & absoluta, quæ nullis potest arceri legibus. Cum verò potuit, scivit, atq; voluit, ideo fecit.

Septima ratio. Peccatum Adæ non potuit impedire consilium DEI, voluntatem ejus ab æterno constitutam! at DEUS ab æterno constituit infallibiliter, & sapienter ordinavit, Virginem Mariam Matrem, Filij sui futuram mundissimam. Igitur suâ Omnipotentiâ eam à sorde originalis culpæ, in sua Conceptione fecit puram. Quod Spiritu Sancto sapientissimus Salomon in Epithalamio Christi cecinit. *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te.*

Cantic: 4:

Octava ratio: Opus redemptionis majus fuit opere Creationis, ideò in opere redemptionis oportebat fieri majora, aut saltim æqualia his quæ fuerunt in opere creationis. Jam certum est naturam humanã à Deo creatam puram nulli peccato obnoxiam etiamsi nullum præcessisset meritum. Præstantiùs aliquid Dominus DEUS in opere Redemptionis exhibere debuit, quemadmodùm & exhibuit, scilicet ut natura humana licet non in omnibus, ut minimùm tamen in una Persona munda atq; Imma-

culata

culata servaretur etiam citra omne præcedens meritum, DEI sola benignitate, & miseratione operante, Id quod potenter factum in hac Virgine Gloriosa firmissimè tenet Sancta Ecclesia Catholica. Sed ne cui dubium sit Redemptionem insigniorem fuisse Creatione, apparet hoc faciliter ex eo: quòd mirabiliora, insigniora, atq; magis stupenda facta sunt in opere Redemptionis. *Verbum* enim *caro factum est.* Virgo concepit, Virgo peperit, Virgo ante partum, & Virgo post partum inviolata permansit. Eademq; Mater DEI & Hominis. Deus homo factus pro nobis passus, crucifixus, mortuus, & multa alia longè insigniora, & mirabiliora illis quæ in creatione facta sunt.

Nona ratio. Omnis causa voluntariè agens potest suspendere effectum quando vult, hoc enim in ejus est potestate, DEUM esse causam Universalem primam in genere intelligibilium voluntariè agentem inficias ire magnus error est. Quoniam & hoc summus Philosophus

losophus in 12. Metaphysicæ testatur. Potuit igitur DEUS suspendere effectum peccati. Et illam sententiam quâ dixit. *In quacunq; hora comedetis moriemini* ab anima Sanctissimæ Uirginis abalienare, ne in eam ageret quod ita facere benigniter dignatꝰ est. Quoniam animæ Sanctissimæ Virginis in suæ Creationis initio concreata est gratia, quæ vicem originalis justitiæ in ea suplevit, quâ ab omni fæditate mundata est. Eademq; gratia superavit naturam, & lex communis naturæ cessit speciali DEI gratiæ. Mundissimam igitur & animâ & corpore concludimus Virginem Sacratissimam.

Decima ratio, Tria simul concurrunt ut originale contrahatur malum. *1mò* Corporis in organa corporea formatio, & distinctio. *2dò.* Animæ corpori infundendæ creatio. *3tiò.* Legis Divinæ statutum, Priora duo fuerunt in Virgine Matre. Tertium penitùs DEI gratiâ exstinctum. Quoniam in Conceptione ipsius corporea Spiritus S. ineffabili modo & admirabili po-

tentia deſcendit in animam ejus. Non ut eam purgaret quam mundiſſimã fieri voluit, ſed ut gratiam infunderet & confirmaret, ut ſicut à veniali & mortali purgata erat, ita ab originali fuiſſet perpetuò immunis.

Undecima ratio, Chriſtus elegit Matrem Virginem corpore ut integram ita & inviolatam. Cur non potiùs elegerit mente integerrimam, cum deterior ſit corruptio mentis quam corporis.

Duodecima ratio. Major fuit Potentia DEI & Sapientia Unigeniti Filij DEI Domini noſtri JESU Chriſti, quâ Matrem ſuam redimeret, & ab omni peccato præſervaret, quam fuit fallax diaboli impoſtura in primorum Parentum ſubverſione. Sed ne longiores ſimus & in re apertiſſima multis agamus. Iterùm ad tertiam veritatem ex ſupradictis eliciendam veniamus.

TERTIA VERITAS.

BEatiſſimæ Virginis Conceptio, non fuit æqualis Chriſti Conceptioni in ſingulari privilegio.

Chri-

Christus enim virtute Spiritus Sancti adumbrante (qui fuit artifex illius Sanctissimi corporis) conceptus est, ex purissimo Virginis Matris sanguine, nec unquam potuit ex sua natura originali peccato infici vel fædari. Virgo item MARIA ex virili semine per propagationem naturalem concepta, potuit contrahere originalem maculam & fœdissimo subijci sceleri. *Sed Domini manus quæ non est abbre-*
Isaiæ 50. *viata* (ut inquit Esaias) potenter retraxit, sapienter retinuit, servavit benigniter.

Quoniam noluit Altissimus DEI Filius suam Matrem tanto subijci sceleri. Originale siquidem peccatum hominem in ira DEI constituit, membrumq; facit esse diaboli, concupiscentijs malis adimplet, ad peccata inclinat, portam cæli claudit, impotentem reddit hominem & invalidum ad resistendum tentationibus, animum caligine ignorantiæ obscurat. Et si non dimittatur in Baptismo æterna beatitudine privat. Cum igitur hoc mali usq; adeò Domino DEO displiceat

ſpliceat, hominemq; abjectum & deteriorem reddat. Nemo pius credat Dominum JESUM ſuam dilectiſſimam Matrem in tantas fœdiſſimi peccati ſordes, & in iram DEI cadere permiſiſſe, quandò arctiùs magiſq; Matrem ſuam dilexit Chriſtus quam unquam aliquis Filius in univerſo mundo. Undè credendum eſt eam honoraſſe in omnibus quantum potuit. Et idcircò tanto eam dignatus eſt honore, ut confuſa non fuerit coram diabolo ex originali peccato. Quis ergò impius aſſerere audebit, templum Domini, ſacrarium Spiritus Sancti, & Unigeniti Filij DEI (*in quo Pater ſibi complacuit*) verum & dulciſſimum reclinatorium, totius ſæculi propitiatorium, mox in ſuæ Conceptionis exordio Spiritus Sancti gratia deſtitutum? Teſtatur Apoſtolus. *Ubi Spiritus Domini ibi libertas.* A ſervitute igitur omnis peccati libera fuit, quæ omnium peccatorum propitiatoria aula, in qua & ex qua homo perſonaliter fieret, Spiritus Sancti præſentia & operatione conſtituebatur.

Dica-

Dicamus ergò cum Sancta Ecclesia *Tota pulchra es Virgo Beatissima, & nulla est in te macula,*

CORONIS.

Hoc etiam diligenter advertendum est.

FEstum Conceptionis Immaculatæ DEI Genitricis Virginis MARIÆ, magis esse referendum ad corporis formationem, quam animæ sanctificatæ infusionem. Illa enim Conceptio fuit formatio substantiæ corporeæ, à Filio DEI pro nostra salute postea assumendæ, ut sic Conceptio futuræ Matris DEI fieret tanquam originalis Conceptio Christi. Filius quippe DEI, pro nobis incarnandus nihil de anima. Beatissimæ Virginis assumpsit, sed tantum corpus virtute Spiritûs Sancti ex purissimo ipsius sangvine formatum suscepit. Jam verò contrahentes vela ad tertiam nostri Instituti partem absolvendam properemus, in qua scripturarum testimonia, persvasiones & pugnantia Argumenta contra Ecclesiæ determinationem pro viribus nostris diluemus.

TERTIA PARS ENCHIRIDIJ.

QVidam MariæMastiges (quos Epiphanius Anthimarias vocat) ab Ecclesiæ Sanctæ determinatione inviolabili divertentes, contrarium sentiunt, audacibus ausis asserentes Virginem Benedictam DEI Genitricem, MARIAM in peccato originali fuisse conceptam, quamvis posteà DEI gratiâ in utero Matris suæ Divæ ANNÆ Sanctificatam. Hanc suam temerariam assertionem, ab Ecclesia prorsùs alienam, nituntur testimonijs quibusdam scripturæ & rationibus, ut probare ita oppugnare Sanctionem Matris Sanctæ Ecclesiæ. Horum testimonia & probationes per ordinem prosequemur in Dei Nomine. Inducunt ante omnia illam Solomonis in Canticis auctoritatem, *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es? oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecùs latet.* Cant. 4. Ubi sub hac verborum congerie *absq; eo quod intrinsecùs latet*, originale peccatum

intelligunt, ex eoq; concludunt Virginem Gloriosam contraxisse peccatum originale. Quibus respondemus juxta Dialecticorum sententiã, quibus proprietates terminorum ad amussim sũnt cognitæ. In prædicta Sapientis auctoritate signum exceptivum *absq;* non teneri exceptivè, sed additamentum designare. Id quod quandoq; fert natura signorum exceptivorum in certis orationibus. Exempli gratia in hac oratione: Petrus numerare debet sex grossos, absq; eo quod pro expensis daturus est: sensus est: ultra sex grossos, adhuc & expensas solvere debet. Ita in prædicta sententià *Tota pulchra es amica mea & macula non est in te, absq; eo quod intrinsecus latet.* Iste clauditur sensus. Tota quidem pulchra es o amica mea in corpore, nec ulla est macula in te, cum sis vitâ Sanctissima, & gemmis virtutum ornata, *absq; eo quod intrinsecus latet.* Anima scilicet, quæ ultra ac multò magis est clarior, candidior & omni puritatis candore illustrior. Citant mox Apostolum dicentem: *Omnes peccaverunt*
Rom. 3
& egent

& egent gratia Dei. Et ratiocinantur hoc pactô: dixit Philosophus 1mo Cœli: *Qui dicit omnis nihil excludit.* Igitur & Virgo Maria non excipitur.

Itemq; allegant Apostolum. *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors & ita in omnes homines mors pertransijt, in quo omnes peccaverunt.* Rom: 5. Deindè paulò post. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem* (mors scilicet *regnavit,*) *sic & per unius justitiam in omnes homines in justitiam vitæ regnavit scilicet justitia.* Huic adferunt assertioni Esaiam pronuntiantem in omnes hanc sententiam. *Omnes nos quasi oves erravimus unus quisq; in viam suam declinavit.* Jsai: 53 Et omnem non movent lapidem ad suæ assertionis testimonium, non aliud quærentes quam voculam *Omnes.* Quâ volunt etiam DEI potestatem & Bonitatem intercludere. Stulti ad modum filiorum Loth, qui Penthapoli deleta putabant jam nihil reliquum esse in mundo. Quod

DEUS Divinâ suâ Sapientiâ sibi inviolabiliter mundum & incontaminatum servare non posset. Sed ut illis tandem respondeamus: ejusmodi omnes Scripturæ Sanctæ attestationes bifariam diluimus.

Primo. Quod universales scripturæ locutiones, non semper omnes includunt homines, ut apud Mathæum de JOANNE Baptista legimus quòd *confluebat ad eum omnis Hierosolyma & omnis Judæa, &* Mat: 3. *omnis regio circum Jordanem.* Et Christus Dominus dixit: *Omnes* Joan: 10 *qui ante me venerunt fures sunt & latrones.* Esaias etiam *Videbit omnis* Jsa: 4: *caro quod os Domini locutum est.* Et tamen non omnes viderunt Christum. Loci isti & his similes, quamvis sint universales, tamen non de omnibus sed de pluribus intelliguntur, per distributionem accomodam. Quemadmodùm etiamsi dixeris: Omnes homines in hac Civitate rectè valent, cum tamen quidam morbo laborent. Ita cùm in sacris legis voluminibus omnes peccasse, de omnibus non præservatis intellige.

Alio

Aliô deinde modô. Scotus omnes in contrarium pugnantes Scripturæ auctoritates absolvit dicens: *Verum esse hoc de lege communi, sed non de speciali privilegio.* Quoniam Dominus DEUS potentiâ suâ absolutâ (quæ est respectu omnium possibilium contradictionem nòn includentium in fieri vel facto esse) conservare potuit Virginem ab omni peccato. Adducunt præterea Sanctorum Doctorum testimonia quibus ante victoriam canunt triumphum dicentes. Scripsit AUGUSTINUS in lib: de defectione justitiæ *Quisquis dicit fuisse vel esse in hac vita majorem hominem, vel aliquos majores homines, exceptô unô Mediatore DEI & hominum quibus non fuerit necessaria remissio peccatorum contrarium dicit scripturæ.* Malè profectò Doctissimi & pij Doctoris atq; Pontificis Aurelij AUGUSTINI isti nasuti intellexerunt mentem. Loquitur enim istis verbis AUGUSTINUS. Neminem consequi peccatorum remissionem absq; DEI gratia. VerùmDEI gratia remittens Scotus in 1. dist: 44.

 culpam

culpam, quædam eſt *præveniens* & à peccato ſervans ſingulari modo: *altera ſubſequens* & emundans illud quod contaminatum fuerat. Prima ſoli Virgini ſervata. Poſtrema omnibus hominibus. Divum AMBROSIUM etiam advocant, verba ejus mordicùs tenentes, quæ ſuper LUCAM ſcribens reliquit: *Superveniens Spiritus Sanctus in Virginem MARIAM ipſius mentem ab omni ſorde vitiorum ſanctificavit.* Verè quidem loquitur Sanctus Ambroſius atq; iſtam ſubindicat ſententiam. *Sanctificavit: mentem Immaculatam faciens, præveniens & ſuis implens chariſmatibus, iiſdem & corpus ſervans, ſanctumq; efficiens, ut nihil eſſet turpitudinis ubi tota ſanctitas ſe ſimul infudit.* Clamant etiam Magiſtrum ſententiarum in eorum ſententiam pedibus ire. Quoniam in lib: ſententiarum ſuarum 3tio diſtin: 3tia cap: 40. hanc reliquit quæſtionem. *Quæritur de carne verbi? An priuſquam conciperetur obligata fuerit peccato? & an talis aſſumpta fuerit à Verbo? ſanè dici poteſt & credi oportet juxta Sanctorum*

ctorum attestationis convenientiam, ipsam prius peccato fuisse obnoxiam, sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus Sancti operatione ita mundatam ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Uerbo, pœna tamen non necessitate sed voluntate assumentis remanente. Mariam quoq; totam Spiritus Sanctus in eam præveniens, à peccato prorsus purgavit, & à fomite peccati etiam liberavit, vel fomitem potius evacuando (ut quibusdam placet) *vel sic debilitando & extenuando?, ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus extiterit.* Istis respondemus. Quod Magister sententiarum dicens quòd Spiritus Sanctus in eam præveniens à peccatis prorsus purgavit, hôc modô intellexit. Non quòd eam ab aliquo purgaret peccato, sed quià fomitem qui essentialiter in carne Virginis re. manserat abstulit, qui etiamsi mansisset, nequaquam eam pronam faceret ad malum, nec difficilem ad faciendum bonum, propter plenitudinem & abundantiam gratiæ. Leonis præterea Papæ in sermone de natali Christi citant testi-

testimonium. *Sicut nullum à reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit.* Hoc certum ita esse lege communi. at DEI gratiâ liberum posse fieri ab omni peccato
2. Cor. 3. indubiè concedendum est. *Quoniam ubi Spiritus Domini ibi libertas.* Atq; hoc unico responso omnes diluuntur contrarietates. Sed ut ad eorum diluenda axiomata etiam pergamus, inducunt pro suæ veritatis assertione rationes quasdam quas illi invincibiles & insolubiles putant. Inter has verò hanc unam existimant inexpugnabilem sic dicentes. Ubicunq; reperitur effectus etiam causam fieri oportet. In Virgine MARIA invenitur effectus peccati, Igitur & causa, puta peccatum originale. Prima propositio patet. Quoniam (primâ causâ exceptâ) nihil est à seipso & nihil causat seipsum. *Omne*
2. de aã. etiam *quod fit, ab aliquo fit,* ut inquit Philosophus in 6to Philosophiæ naturalis libro, Altera deinde propositio probatur. Quia effectus peccati originalis est mors temporalis, pœna scilicet à DEO primis

Parenti-

Parentibus istis verbis inflicta. *In quacunq; hora comederitis moriemini.* *Idcirco* Apostolus inquit, Genes. 2.

Stipendia peccati mors.

Ita solvimus hunc modum. Quòd peccatum originale non esse absolutè causam efficientem & completam mortis temporalis. Quià (ut jam frequentiùs diximus) licet homo non peccasset, naturaliter tamen mortalis fuisset, eò quod ex contrarijs qualitátibus continuò invicem pugnantibus, & se destruentibus esset compactus. Sed potiùs originale peccatum fuit causa auferens gratiam quâ Adam si non peccasset, cum sua posteritate fuisset immortalis. Testimonijs vero scripturæ ita respondemus. *In quacunq; hora comederitis moriemini.* Sensus est; moriendi necessitatem incurretis, à qua si non peccaveritis, servabimini. Similiter cùm inquit Apostolus *Stipendia peccati mors.* Sic accipiendum est. Per peccatum in hominem descendisse mortem, eumq; jam penitùs Rom. 6.

morti

morti ſubjectum à qua Dei gratiâ ſi perſtitiſſet in innocentia ſervaretur. Quandò plus valet gratia Dei quam natura. In ſumma cum homo privatus eſt hâc gratiâ & ſubſecutum eſt originale peccatum ſit, ut ille jam mortalis ſit propter peccatum. Adde præterea, Quandò quis non habet privilegium illud quod in Paradiſo homini donatum fuerat etiam ſine ſuo commerito, ex natura obnoxius eſt legibus mortis. Fuit autem privilegium illud Paradiſiacum adverſus mortem, Dei gratiâ hominibus conceſſum, qui lignum vitæ præſtiterat. Unde ſaciati eſſent adverſus omnem fragilitatem, & cum jam tempus acceſſiſſet priusquam morerentur, tranſtuliſſet in vitam æternam. MARIA Uirgo quià donum illud Paradiſi adverſus mortem non habuit, mortua eſt naturaliter ſine omni peccato. Et licet Dominus noſter JESUS Chriſtus Matri ſuæ Sanctiſſimæ potuit conferre donũ immortalitatis, ſicut eam à peccato originali potuit præſervare,

donum

donum tamen immortalitatis non contulit illi. *Primo.* Ut æquaretur Filio, qui cum Sanctissimus esset & nullum fecisset peccatum mori tamen non recusavit. *Deinde* Quia *Christus caput Ecclesiæ est & mortuus est.* Conveniebat igitur & MARIAM Uirginem mori quoniam *membra caput suum sequi debent.* *Tertio.* Ne fides resurrectionis futuræ evacuaretur. *Quarto.* Quià immortaliras & beatitudo non conveniebat Uirgini in hac vita, usq; in futura Patria. *Postremo.* Quoniam si mortua illa non esset, ex qua tamen naturam humanam Christum assumpsisse constat, prætextum huic erroris sui arripuissent Manichæi, & Ualentiniani hæretici, asserentes Dominum non habuisse verum corpus. Cum ergò MARIA Virgo mortua est, argumentum hinc evidens liquet ex radice Adæ eam descendisse, ex qua tandem Christus generis humani Redemptor natus est.

Colos: 1.

Eph: 1.

Obijci-

Objiciunt præterea isti ANTHIMARIÆ.

Scripsit Apostolus. *Omnes peccaverunt & egent gratia DEI.* Igitur & MARIA, consequentiam dicti ex Philosopho probant. *Qui dicit omnis nihil excludit.* Deinde sic antecedentem propositionem pervestigant. Si Virgo MARIA indiguit DEI gratiâ, tunc illa opus habuit, quandò erat, aut quandò non erat? Nòn potest dici quòd DEI gratiâ indiguisset, quandò non erat, quoniam indigentia præsupponit esse. Neq; potest dici quandò fuit, hoc sic patet. Quia vel fuisset idem instans indigentiæ & gratiæ aut non? Si fuisset idem instans indigentiæ & gratiæ, consequens esset duo instantia sibi invicem fuisse proxima, quòd negat Philosophus *6to Phisicorum.* Præterea duo contraria indigentiæ scilicet & gratiæ essent simul, quod est contra rationem contrariorum quæ vicissim se expellunt. Si autem duo fuissent instantia tunc inter ea erit tempus medium, quô Virgo MA-

RIA esset sine gratia, atq; in eodem tempore anima ipsius originali malo subjecta.

Hinc tandem concluditur MARIAM Virginem quandò Dei indiguit gratia peccatum originale aliquantulo tempore contraxisse, atq; aliud fuisse instans gratiæ in MARIA, aliud quoq; indigentiæ.

Respondent cum Catholica Ecclesia MARIÆ cultores. MARIA Virgo gratia DEI præveniente indiguit antequam fuisset, ne in peccatum caderet, quandò scilicet erat in suis causis proximè eam producturis, ut præveniretur Divina gratia, & à lapsu servaretur. Et hoc fuit ultimum instans non esse Virginis. Deinde ultimum instans non esse Virginis, in quo ex se & lege communi Beata Virgo MARIA indiguit DEI gratia præservante, fuit idem instans secundum rem esse Virginis, in quo Virgo Sacratissima speciali privilegio liberata fuit, & præservata ab originali pecato. Neq; verò implicat contradictionem, quòd

idem possit esse instans non esse rei, & idem instans esse rei in eodẽ tempore. Hoc enim manifestè ostenditur in introductione aut infusione animæ rationalis, in corpus hominis, in qua primum instans introductionis animæ rationalis, est idem instans secundum rem corruptionis animæ sensitivæ præcedentis. Jllæ enim duæ formæ non possunt esse simul in eodem instanti. Erroneum siquidem esset dicere eandem rem plures habere formas in eodem instanti. Quia si una res haberet plura esse simul, una, esset plures res. Neq; etiam talis introductio animæ rationalis, & sensitivæ corruptio, potest esse in diversis instantibus. Quià hôc concessô materia medio tempore esset nuda absq; forma. Quod dicere est impugnare Philosophi sententiam lib: de generatione dicentis. *Materià nunquam est sine morpheis & passionibus*, formis scilicet substantialibus & Accidentalibus. Sed & in artificialibus hoc videre licet, de duobus clavis, quorum

unus

unius asseri incutitur, & alter excutitur, ubi idem est instans excussionis clavi unius, & introitus alterius. Ad propositum igitur respondent Catholici. In infusione animæ benedictæ Gloriosæ Virginis fuit idem instans indigentiæ gratiæ Divinæ de lege communi, cum instanti gratiæ & præservationis â lapsu ex speciali gratia. Nec obstat dicere. Ergo duo instantia essent sibi invicem proxima? quod est contra Aristotelem *6to Physicorum*. Quoniam in eodem instanti temporis possunt esse plura instantia naturæ, quemadmodùm Commentator in *6tum Physicorum* declarat verbi gratia. In solis illuminatione dum oritur, in eodem instanti fit illuminatio cum cessione tenebrarum. Unde Philosophus inquit 2do de anima. *Illuminatio fit in instanti.* Ita quandò quispiam pulveri infigit pedem, ibi idem est instans secundùm tempus impositionis pedis & impressionis vestigij. Quia tamen hæc Philosophica est quæstio. *Utrum in eodem instanti tempo-*

ris possunt esse plura instantia naturæ? hanc Philosophis relinquimus fusiùs pertractandam.

Deinceps etiam argumentantur.

OMnis puritas puræ creaturæ debet esse infra puritatem CHRISTI, qui est mundissimus, ut potè DEUS: at si Virgo Gloriosa MARIA sine originali peccato Concepta fuisset, puritas ejus non esset minor Christi puritate, sed par illi & æqualis, quià utriusq; sine originali peccato conceptio. Igitur in originali peccato conceptam adstruendum est.

Respondetur huic objectioni.

QVòd puritas Virginis nòn fuit æqualis puritati Christi. Hujus enim ex propria natura, Virginis autem ex gratia tantum. Ideoq; sub Christi, puritate fuit. Simile apparet acceptis duabus albedinibus, una octo gradum, altera quatuor, ejusdem quidem sunt speciei, sed una perfectior alia. Adducunt insuper hoc axioma: *Positis duobus quorum unum necessariò consequitur alterum; si inveni-* *tur*

tur in aliquo alterum, etiam & primum esse, aut saltim fuisse concedendum est. Sensuum rebellio & originale malum eam habent adinvicem consequentiam, quod unum necessariò sequitur alterum. Stante enim originali justitia non fuit sensuum rebellio, eadem ablata originale peccatum natum, quod statim rebellio sensuum subsecuta est. Exempli causa: Risibile, & homo necessariò seqvuntur. Risibile sequitur hominem; & risibile reperitur in JOANNE, igitur & homo.

Deindè sic procedunt.

IN MARIA Virgine fuit rebellio sensuum: Igitur & peccatum originale. Veritas dicti probatur. Quoniam in ea reperiuntur ea quæ huic rebellioni proximè sunt annexa, ut sitis, esuries, algor, timor, dolor. & alia id genus. Ante peccatum enim DEI gratiâ homo fuit impassibilis, immortalis, infatigabilis, &c. Diluimus axioma hoc pacto: Primùm quia ab insufficienti procedit. Etiam rebellio virium inferiorum & sensu-

um adverſus rationem nunquam fuit in ſacrata Virgine: ſemper enim recta ratio imperium in ea tenuit. Et licet in morte dilectiſſimi Filij ſui triſtabatur, ille tamen mæror ſecundum dictamen rectæ rationis regulatiſſimus erat. Sciebat enim Virgo Beatiſſima hæc fieri oportere pro totius mundi redemptione, atq; ſalute. Præterea quia ſitivit, eſurivit, alſit &c. iſti defectus non ſunt præcisè ex originali peccato nati, quoniam fuerunt etiam ante peccatum in homine naturales, à quibus (ut jam ſemper diximus) DEI gratiâ ſervaretur. Quandò autem homo propriæ naturæ eſt derelictus, incidit in hos defectus. à quibus neq; Virgo liberari potuit, ſicut, & Sanctiſſimus ejus Filius Dominus Noſter JESUS Chriſtus ſibi poſſibiles præter peccatum ſuſcepit, hinc eſurivit, ſitivit, fatigabatur, triſtabatur &c: quemadmodùm ex ſacris Evangelijs cognoſcimus.

Hactenùs ad teſtimonia & rationes adverſariorum reſpondimus. cætera eruditioribus relinquimus profundius perveſtiganda. Nolui-

mus

mus enim in hoc negotio ultra captum ingenij diversari, submoniti Poetæ adhortamento *Tuo te pede metire & nôris quam sit tua curta supellex.* Jam ea quæ pro viribus nostris DEI propitiatione disseruimus, dicta sufficiant.

EPILOGUS.

HÆc sunt *Reverendissime Pater Benefactor mi Gratiosissime*, quæ pro DEI Optimi Maximi Gloria, & beatissimæ Virginis MARIÆ laude perpetua de Immaculata Ipsius Conceptione pro viribus nostris, ex Sanctorum atq; Orthodoxorum Patrum sententia in hoc Enchiridion congessimus, ea quæ contraria Ecclesiæ determinationi, & sanctorum Patrum assertionibus fuerant diluendo. *Olim quidem* (ut cujusdam Doctissimi Viri verbis utar) *Credebat Philosophia Christiana, non disputabat, & pia simplicitas hominum, Sacrorum voluminum oraculis erat contenta.* Nec egebat varijs præscriptis, ultrò prompta charitas, omnia credens, nusquam hærens. Verùm nunc sub hoc Chri-

ſtianæ religionis ferreo ſæculo, ubi multum de re Chriſtiana controvertitur, omnia probantur contentionibus. *Quas non aliud excitavit* (ut inquit GREGORIUS ille Nanzianzenus in ſermone de moderandis diſputationibus) *quam calor irrefrenabilis expers rationis & ſcientiæ, & fidei navigium gubernaculô deſtitutum.* Undè fit ut multi de fide & Religione noſtra, non ſolum inter pocula, infideliter & irreligiosè diſputent, verùm etiam nova præcepta decernant, & in lucem edere non vereantur. His jam relictis Eccleſiæ ſanctionem firmiſſimè tenentes & ejus oppugnatorum malevolentiam ſurda pertranſeuntes aure, cum illa tenere firmiter conſtituimus. Quæ inter alia multa hoc piè ſancivit. Ut Immaculata Conceptio Virginis benedictæ MARIÆ DEIGenitricis, ſingulis feſtiva celebritate recoleretur annis. Et DEI miſericordia quâ propter gloriam Nominis ſui, & noſtram ſalutem, Virginem hanc Sacratiſſimam, ab originali macula fecit puriſſi-

purissimam, devotiùs expenderetur. Quod alacriùs faciendum submovebit hic Libellus ad circumferendum facilis. Habebit pius MARIÆ VirginisCultor quid de Conceptione ejus Immaculata sentire debeat. Emisimus in lucem hunc libellum manualem sub Tuæ *Reverendissimæ Paternitatis Nomine*, ut vel sic auspicatiùs prodeat. Obsecramus etiam ut quæ indiligentiùs conscripta fuerint TUÆ *Reverendissimæ Paternitatis* acre judicium confodiat, emendet, & nitidiùs reddat. Ad laudem & Gloriam DEI Omnipotentis Benedicti in sæcula. Amen.

Sub omnium eruditorum & piorum benigna correctione.

Soli DEO Gloria.

In Ferijs

In Ferijs Immaculatæ Conceptionis Gloriosæ Virginis MARIÆ DEI Genitricis in æternum Benedictæ, Conciones tres ad plebem rudem pronuntiatæ.

SERMO PRIMVS.

Beatus venter qui te portavit Luc: 11.

Evangelium in Sacra celebritate Immaculatæ Conceptionis pronuntiari consvetum. *In illo tempore. Loquente JESU ad turbas extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi. Beatus venter qui te portavit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit. Quinimò Beati qui audiunt Verbum DEI & custodiunt illud.*

AVE MARIA.

Beatus venter qui te portavit Luc: 11.

DIes hodierna Immaculatæ Virginis Matris Conceptioni celebris est admodùm fratres charissimi. Quâ pro consolatione & jucunditate Christianorum peculiari, in memoriam revocat Sancta

Ecclesia DEI ineffabilem misericordiam, per quam singulari modô, & speciali privilegiô nulli unquam concesso, Virgo Beatissima MARIA DEI Genitrix in suæ Matris Divæ ANNÆ utero absq; originali peccato est concepta. Quæ demùm Angelo Gabriele adnuntiante concepit Filium DEI, mundi Salvatorem JESUM CHRISTUM Dominum nostrum. Beata idcircò facta, quandò sine originali peccato concepta; Beatior quandò verbis Gabrielis credidit, & fideliter assensit; Beatissima dum concepit mirabili modô & peperit Filium DEI. Meritò igitur hæc mulier magna devotione extimulata, vocem extollens exclamavit, uterumq; ejus Sacrosanctum benedixit, dicens: *Beatus venter qui te portavit.* Commendans procul dubiò uterum Virgineum Sanctum, & Immaculatum, ab omni peccato prorsùs alienum, DEI gratiâ singulari mundatum, & nunquam etiam originali malo obnoxium. De hoc candore Virginis Sacro-

sanctæ

sanctæ dicturi, præsentem sermonem duabus absolvemus partibus.

Primò modum quo Beata Virgo tota facta est Beata, & in Conceptione sua facta Immaculata. *Secundò* typicam ejusdem Immaculatæ Conceptionis adumbrationē.

In prima parte expendemus verba exclamantis mulieris. *Beatus* (inquit) *venter*. Quandò dixit *beatus venter* à parte totum intelligere debemus, ut totam Virginem Beatam, sanctam, mundam, Immaculatam, atq; ab omni prorsùs peccato alienam credamus, nec unquam originali malo conspurcatum. Quoniam tota pulchra mirabili Dei potentiâ facta est. Scripsit B. AUGUSTINUS lib: 5tò. de Civita: DEI cap: 5to. *Illud est mirabilius quod est potentius*. Hic profectò magna potentia, etiam verò & magnum miraculum. Quomodò autem ab originali peccato servata fuerit, paucis accipite fratres in Domino Charissimi.

DOminus DEUS animam Beatissimæ Virginis ut primùm creavit, confestim infudit (*anima* enim

ut ait

ut ait AUGUSTINUS *in creando infunditur, & in infundendo creatur)* Infudit autem animam illam sanctam, nullo peccato contaminatam. Prælecta erat anima Virginis Sancta ab ipsa sanctissima & Individua Trinitate ex universo mundo, ut infunderetur corpori Matris Unigeniti Filij DEI, ideoq; omnium pretiosissimè à Deo redimita, atq; donata est præ omnibus omnium hominum animabus, quotquot ab initio mundi ad finem usq; sunt conditæ: Jam illa Virginis anima à DEO creata & electa, postquam corpori est infusa, statim DEI speciali gratiâ suscepit dona DEI peculiaria, gratiosè ab omni malo servata, & in Matrem Filij DEI mundissimi, castissima Mater consignata. De hoc ita in Persona ipsius Sapiens dixit, & canit Ecclesia: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* Prov: 8. Quandò itaq; ab æterno, ordinata est. Quis locus serrvaretur Divinæ electioni ab æterno, si ipsam originale peccatum maculasset? Scripsit Apostolus. *Elegit nos*

ante mundi constitutionem ut essemus Sancti, & Immaculati in conspectu ejus in charitate &c. Quòd si Apostolos ante mundi constitutionem elegit, quare & Virginem Matrem non elegisset, de qua verum corpus assumpturus fuerat. Præterea in Persona ipsius Ecclesia profert verba Sapientis: *Dominus possedit me in initio viarum suarum antequam quidquam faceret à principio.* Et quæ sequuntur. Quod si ita est; utiq; originali peccato caruit ipsa: Eos enim qui peccatis onusti sunt, diabolus possidet, mundi hujus princeps. Hanc autem Virginem quià Dominus possedit meritò illam Angelus Gabriel salutans dixit: *Dominus tecum benedicta tu in mulieribus.* Etiamsi verba sequentia Sapientis prosequi voluerimus, videbimus eum loqui in Persona Virginis de omnibus diebus, & omni tempore. In summa itaq; DEI magna virtute cui nihil impossibile est. *Dixit enim, facta sunt, mandavit & creata sunt universa.* Ineffabili etiam modo specialiq; Privilegio imò singulari hæc Virgo

Prov. 8.

in

in Conceptione à peccato originali servata, tota deniq; Immaculata, tanquam summi DEI Patris ejusdemq; Omnipotentis amica dilectissima, Filij DEI Genitrix Charissima, & Spiritus Sancti sacrarium mundissimum.

ALTERA PARS.

IN parte altera consideremus typicam Immaculatæ hujus Conceptionis præfigurationem. Legimus in Geneseos historia. Tempore diluvij & universalis mundi cathaclysmi arcam Nòé sublevatam super aquas: figurabat hæc arca Virginem Gloriosam, Ecclesiâ in precibus matutinis ita canente: *Fac Tibi arcam de lignis levigatis* Genes: 7. *ruptiq; sunt fontes abyssi magnæ, & factum est diluvium* peccati *super omnem terram, arca vero* Deifera *elevata est in sublime, & ferebatur super aquas coopertiq; sunt omnes montes excelsi* Sanctorum. Vides Ecclesiam fateri solam Virginem ab originali peccato DEI Virtute servatam. Nec dubites aquis significari peccata. Quando etiam David cum Do-

mino DEO expostulans dicebat:
Psal: *Salvum me fac DEUS quoniam*
64. *intraverunt aquæ usq; ad animam*
meam. Jtemq; *Non me demergat*
tempestas aquæ, neq; absorbeat me pro-
fundum, Neq; urgeat super me pote-
us os suum. Uide B, Augustinum
super hunc Psalmum, cujus expo-
sitione diligentiùs perspecta co-
gnosces, aquis, profundo, & pu-
teo, iniquitatem puteumq; signi-
Genes: ficari. In eodem etiam lib: ali-
47. am adumbrationem habemus. In
tempore illo quò valida fames
totam fermè enecaverat Egyptum
tota terra facta est Pharaoni tri-
butaria, præter terram Sacerdota-
lem quæ prorsùs libera fuit. Por-
rò terra Sacerdotalis figurabat
Psal: Virginem Gloriosam, *Sacerdotem*
109. *in æternum secundum ordinem Mel-*
chisedech edituram. Hæc à tribu-
to Pharaonis qui diabolum adum-
brabat fuit libera. Quod eti-
amnum in Spiritu David prævi-
dens dixit: *Benedixisti Domine ter-*
Psal: *ram tuam.* Terra de qua Esaias
24. *Rorate cæli desuper, & nubes plu-*
ant justum, aperiatur terra & ger-
minet

minet Salvatorem. Cæterùm in Exodo figurata est Virgo benedicta per arcam testamenti, in qua ut scribit Beatus Apostolus. *Erat urna aurea.* Hæc priusquam in arcam poneretur, repleta est manna; Arca corpus Virgineum figurabat, urna aurea animam benedictam aurô puriorem, quæ antequam infunderetur corpori, Divinâ gratiâ (manna significata) impleta est, quâ dum unitur corpori, à contagione originalis mali servata est. *Nescit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* ait Divus Ambrosius super Lucam. De hoc aureo Virginis candore pulcherrimè versibus lusit devotus ille Carmelita in sua parthenicè Mariana. Exod: 25.

Tu mundior aurô
Tu nive candidior, Ueneris tu clarior astro: Nec tua Uirginitas partu vitiata, nec ullis Iste tuus poterit maculis nigrescere candor. Baptis. Mantna

ADde etiam. Si arcam testamenti figuralem DEUS præcepit Moysi fabricare ex lignis

Sethim

Sethim imputribilibus, atq; deaurare intùs & foris aurô mundissimô, quia in ea tipicum manna servari debuit. Planè multò nobiliùs decuit adornari, arcam veram. quæ non manna sed Dei verum, unicumq; Filium mundi Salvatorem, quem cæli cælorum capere non poterant in suo beato utero novem mensibus gestare debebat. Sed & ex libro Canticorum offert se nobis Scriptura. *Ferculum fecit sibi Solomon de lignis Libani, cedrinis scilicet, quæ in monte Libano crescunt copiosè* Columnas ejus fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constravit, propter filias Hierusalem. Hanc umbram futurorum bonorum istis verbis decantavit Ecclesia in matutinis precibus, recolens; quomodò verus Salomon Christus JESUS imò plusquam Salomon, in omni gloriâ sua fecit sibi ferculum, thronum scilicet regium, nobilem ex lignis cedrinis quæ suo odore omnia venenosa fugant animantia. Thronus iste

Cant: 5.

figurabat

figurabat Virginem ab omni veneno peccati immunem, venenum diaboli fugantem. Columnæ item argenteæ, reclinatorium aureum, ascensus purpureus. Hæc omnia candorem, puritatem invincibilem, & magnam Virginis adumbrabant sanctitatem. Jdcircò fratres in Domino charissimi hac die Sacra, in laudem Dei optimi Maximi, & Virginis MARIÆ perpetuum honorem, cum Sancta Ecclesia procinamus. *Tota pulchra es Virgo Gloriosissima & macula non est in te. Sola* (ut inquit Bernardus in sermone de Vigilia Nativitatis) *à generali maledicto libera & à dolore parturientium aliena.* Eandem etiam suppliciter deprecemur, ut pro nobis intercedat ad Dominum JESUM Christum quatenùs nobis conferat salutaria, & vitam æternam. Amen.

ALTERA CONCIO
Ad populum habita.

Beatus venter, qui te portavit. Luc: 11.

SAnctus ille Rex & Propheta David laudes Divinas adnuntia-

tiaturus ita precabatur. *Domine*
Psal: 50. *labia mea aperies, & os meum annun-*
tiabit laudem tuam. Scivit profe-
ctò Rex Sanctus non esse specio-
sam Divinam laudem in ore pec-
catoris. Idcircò non nisi purga-
tissimis labijs Deum celebrare vo-
lebat. Ad hunc fermè modum
Isai: 6. & Esaias Propheta se virum la-
bijs pollutum clamabat, donec ad-
volasset unus ex Seraphin, & sum-
pto ex altari calculo admovisset
ori ejus ut mundaretur. Hæc ad
nostram eruditionem scripta sunt
dicente Apostolo: *Quæcunque scri-*
Rom: 15. *pta sunt ad nostram doctrinam scripta*
sunt. Noluit Sanctus Rex & Pro-
pheta Divina decantare encomia
Sapien: 10. absq; ejus auxilio, qui *lingvas in-*
fantium facit disertas. Neq; Sanctus
Vates verba Domini exercituum
annuntiare populo donec mun-
daretur. Quid nos peccatores
facturi sumus volentes Deum
Optimum Maximum in Virgi-
ne Beata Dei Genitrice MARIA
laudare?

Offert se nobis documentum
Beati HIERONYMI in sermone
de assum-

de Assumptione ad Paulam & Eustochium scribentis in hunc modum: *Tametsi ad hæc nemo idoneus invenitur, votis omnibus cessare non debet etiam quilibet peccator à laudibus, quamvis explere non queat quod sentitur.* Unde sermo Divinus cum de peccatore ageret in in Psalmis *Sacrificium* (inquit) *laudis honorificabit me & illic iter est, quò ostendam illi salutare DEI.* Acsi patenter dicat. Illic iter est laudis, ad æternam laudem sine fine mansuram. Sed nemo apprehendet illud nisi ego monstravero. Propterea charissimi quia iter salutis nostræ in laudibus est Salvatoris, hortor vos & commoneo in Sacra solemnitate DEI Genitricis MARIÆ nolite cessare à laudibus. Psal: 49.

Et quamvis non sit speciosa laus in ore peccatoris *Noli cessare* (quia inde tibi promittitur venia, unde & omnibus) *ut laudes. Alioqui nisi juxta modulum ingenij nostri Deum laudare in Sanctis suis studeamus: quomodo eum secundum quod canimus juxta multitudinem magnitudinis ejus laudare poterimus?* hæc HIERONY-

MUS. Inhortante itaq; B. HIERONYMO laudemus Dominum qui potens est. Quia fecit magna Virgini Matri: *quia respexit humilitatem ancillæ suæ* propter quod *eam omnes beatam dicent generationes*. Quemadmodùm & hæc mulier extollens vocem suam exclamavit dicens: *Beatus venter qui te portavit*.

In sermone præsenti duo per ordinem videbimus. *Primò*. uteri Virginei beatitudinem & omnimodam puritatem. *Secundo*, Ejusdem Virginis dignam à nobis venerationem

Quantum ad primum. Beatus Lucas narrat Dominum dæmonium mutum ejecisse, & quibusdam murmurationibus quasi in Beelzebub principe dæmoniorum ejecisset, respondisse. In digitto Dei se abegisse illud. Interea dum loqueretur. Mulier quædam extollens vocem de turba dixit. *Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti*. Ubi Venerabilis Beda in Homilia Evangelij hodierni, hæc verba mulieris expendens, docet eam typum Ecclesiæ tenuisse, moxq; admonet exemplo istius mulie-

mulieris Virginem prædicare beatam dicens. *Et nos igitur his contra Euthicen dictis extollamus vocem cum Ecclesia Catholica, cujus hæc mulier typum gessit. Extollamus & mentem de medio turbarum dicamusq́; Salvatori. Beatus venter qui te portavit & ubera quæ suxisti. Verè enim beata Parens quæ sicut quidam ait:*

Enixa puerpera Regem.

Qui cælum terramq́; regit per sæcula, cujus, Nomen ab æterno complectens omnia giro, Imperium sine fine manet, quæ ventre Beata, Gaudia Matris habens cum Virginitatis honore. Nec primam similem visa est, nec habere sequentem.

DIgnum est autem laudare & in laudes Virginis vocem extollere eamq; benedicere perpetuò, quia Propheta Regius hoc faciendum prædixit dicens. *Generatio rectorū benedicetur.* Item aliò Psal: 111.
loco. *Rectos decet collaudatio. Rectus* Psal. 32:
autē & justus atq́; recto corde ille nominatur (ut inquit BASILIUS Magnus super Psal: 7mum) *qui bene facit.* Quid verò rectiùs & justiùs DEI Matre fieri potuit? quæ Agnum

Immaculatum mundi peccata tollentem, in sacrato utero portavit? Hinc jam dignum est eam encomijs concelebrare magnificis. *Sic enim decet honorare, quem Rex voluerit.* Nec solùm Nativitas Virginis sed & Conceptio summis celebranda est præconijs. Quoniam Conceptio futuræ Matris Filij DEI, fuit tanquam originalis conceptio Christi, qui ex ea carnem pro nostra assumpsit salute. *Neq; etiam dubium* ait HIERONYMUS in sermone de assumptione, *quin totum ad gloriam Christi pertineat, quidquid dignè Genitrici suæ, fuerit impensum, atq; solenniter attributum.* Jam quandò constat ipsam absq; macula (DEI singulari gratiâ operante) conceptam, dicamus cum Divo Anselmo. *Decuit Virginem eâ puritate* in lib: de con: vir: *nitere quâ major sub Deo nequit intelligi.* Decuit planè habitaculum Unigeniti Filij DEI futurum, fieri mundissimum & sanctissimum. Legimus in lib: Paralipomenon. Dominum respondisse Salomoni. Quã sibi complacuerit templum quod illi ædificarat. *Elegi & Sanctifica* 2. Par: 7.

vi locum istum, ut sit ibi Nomen meum in sempiternum, & permaneant oculi mei, & cor meum, ibi cunctis diebus: Profectò si usq; adeò templum illud Materiale elegit & sanctificavit, Longè nobilius decuit sanctificari & ab omni penitùs labe mundari & præservari, templum illud animatum DEI vivi. Id quod procul dubiò fatetur Ecclesia. Et nos Ecclesiæ Filij dicamus illud Davidicum: *Sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.* Decuit etiam Virginem tanta puritate nitere, propter Christi honorem ut mundissimus Filius de Matre mundissima nasceretur. Hieremias ad Gentes mittendus ut illis annunciaret Verbum DEI, sanctificatur in utero Matris, & propheta fit. Domino DEO ita ad eum dicente: *Priusquam te formarem in utero novi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te, & Prophetam in Gentibus, dedi te.* Præcursor Domini, idemq; vox clamantis in deserto Sanctissimus Joannes Baptista, in testimonium veri Luminis, destinandus, Spiritu Sancto repletur in utero

Psal: 45.

Hier: 1.

Joan: 1.

Luc: 1.

Matris. Paulus ut efficeretur prædicator veritatis, & Doctor Gentium fit vas electionis, quòd circum-
Act. 6. ferret Nomen Domini coram Gentibus, Regibus, & filijs Israel, Nonnè magis decuit Virginem ab omni pececati macula fieri purissimã, ut in Sanctificationis dignitate & gratiæ collatione omnes Sanctos, non modò quantùm ad abundantiam, sed & qùò ad temporis accelerationem præcelleret. Idcircò Angelus eam plenam gratiâ salutavit. Ubi consideremus paulò diligentiùs de plenitudine gratiæ. Legimus de Christo in Evange-
Joan: 1. lio. *Vidimus eum quasi Unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis* Itemq; *Et de plenitudine ejus accepimùs omnes.* Legimus etiam Virgi-
Luc. 1. nem ab Angelo salutatam *Ave gratiâ plena.* Et in Actis Apostolicis de
Act: 6. Stephano. *Stephanus plenus gratiâ & fortitudine.* Hæc scripturæ verissima testimonia ita accipiemus. Christus plenus gratiâ plenitudine redundantiæ. MARIA plena gratiâ excellenter, STEPHANUS sufficienter. *Tertiò* decuit Virginem

nem tanta puritate nitere propter Prophetæ vaticinium, ut scilicet impleretur quod per Propheta Dominus prædixerat inquiens: *Domum Majestatis meæ glorificabo* Voluit Dominus ut hoc Vates adnuntiaret, quod infallibiliter facere constituerat, quidquid enim Dominus pro nostra salute facere ordinaverat, omne illud priùs Prophetis revelabat, ut illi rursùs Divina edocti revelatione, adnuntiarent populis futura. UndèAmos Propheta loquitur: *Quia non faciet Dominus verbum nisi revelaverit secretū suum ad servos suos Prophetas.* Non faciet Dominus verbum, idest rem aliquam, mos siquidem estHæbreæ linguæ quodlibet negotium, aut factum, verbū dicere, eò quòd verbis narrari & complecti soleat. Quemadmodùm & Pastores apudLucam dixeruntEamus & videamus verbum hoc, *id est hanc rem.* *Quartò* decuit Virginem tanta nitere puritate, quæ Angelicis privilegijs erat honoranda, & super omnes Angelorum Choros exaltanda. Certum enim est Angelos in innocentia absq; omni

Isai: 60.

Amos 3.

Luc: 2.

peccato

peccato creatos, & post lapsum Luciferi (cum cœteris Apostaticis Spiritibus) in gratia confirmatos: adeò, ut sine omni peccato semper fuerint. Nec verissimile est aliquam creaturam Divinæ indignationi aliquanto tempore subjectam, Angelis (Divinæ iræ nunquam obnoxijs) præfici. In summa itaq; teneamus fratres charissimi firmiter cum Sancta Ecclesia Catholica castissimam Virginem semper Benedictam nunquam originali malo fuisse fædatam, atq; istis eam glorificemus verbis. Glorificamus Te DEI Genitrix Virgo, quia ex te natus est Christus, salva omnes, salutem scilicet impetra his, qui te glorificant.

Altera Pars Succinctior.

Ex beneficijs atq; privilegijs quæ huic DEUS concessit Virgini, colligere licet, quantam apud DEUM habuerit gratiam, siquidem tanta ei collata est gratiæ plenitudo, ut nulla pura creatura in hac vita majoris fuerit capax. Ideoq; summè ultra omnes Sanctos à nobis est veneranda.

Unde

Undè inquit Beatus Cyprianus in sermone de Nativitate: *In natura cum hominibus, & non in gratia communicat.* Quisquis etiam DEI gratiam impetrare voluerit, Virgini Mediatrici devotè supplicet. Eam enim Dominus nobis dedit, non modò ut nobis Salvatorem ederet, verum etiam ut nostræ salutis esset indefessa curatrix. Nec obstat verbum Apostoli. *Unus est mediator DEI & hominum, homo Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum, pro omnibus.* Verum est hoc quod ipse Mediator supremus, Virgo autem MARIA est proxima mediatrix. Quoniam *quidquid est causa causæ est etiam causa causati.* Maria genuit Christum Supremum DEI & hominum mediatorem. Ipsa igitur consequenter & proximè mediatrix est peccatorum. Orat procul dubiò atq; intercedit pro nobis & exauditur pro sua reverentia. Ecclesia in quadam Prosa testante: *Audi nos nam Te Filius nihil negans honorat, Salva nos JESU pro quibus Virgo Mater Te orat.* Et Beato AUGUSTINO in lib:

1. Thim: 2.

Cur

Cur DEUS homo? pulchrè iftis verbis differente. *Si Moyfes qui lapideas à Domino fufcepit digitto DEI fcriptas tabulas, quoties pro popula orabat Ifraelitico exauditus eft! An non exaudietur Virgo? quæ non lapideas in manibus tabulas, fed Chriftum in fuo portavit utero? Et majora funt vifcera mifericordiæ in hac Virgine erga Chriftianos, quam Moyfi erga Ifraelitas.* Propterea Divus Bonaventura in lib: de ftimulo amoris, ita Virginem alloquitur: *Vere Domina Regina es mifericordiæ quia non eft in hac vita fic defperatus, fic mifer, cui non impetres mifericordiam falutarem, fi ad tuum declinaverit regimen: Certè Domina cum te afpicio nihil nifi mifericordiam cerno. Nam pro miferis Mater DEI facta es. Mifericordiam infuper genuifti, & demum tibi officium miferendi eft commiffum.* hæc ille.

Ad extremùm omnes profufis precibus Virginem Sanctiffimam deprecemur, ut nos fua juvet interceffione, dicentes. *Maria Mater gratiæ, Mater mifericordiæ, Tu nos ab hofte protege, in hora mortis fufcipe* Filio Tuo Sanctiffimo per

Te nobis donante. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto vivit & regnat DEUS in sæcula benedictus. Amen.

SERMO TERTIVS,

In Ferijs ejusdem Immaculatæ Conceptionis Gloriosissimæ DEI Genitricis MARIÆ Virginis

Sicut lilium inter spinas sic amica mea inter filias, Cant: 2.

INeffabilem DEI Optimi Maximi in Beatissimam Virginem MARIAM satis abundè collatam benignitatem & gratiam, hodiè lætis præconiis Sancta concelebrat Ecclesia Catholica Fratres Charissimi. Recolens quàm mirabili modo DEUS Pater Omnipotens & supercœlestis, dignum Filio suo præparans habitaculum, illud ab omni peccati præservavit macula, nec unquam originali malo contaminari voluit. In cujus rei testimonium in Persona DEI Patris suave depromit encomium ex Canticis Cantico-

rum ubi Epitalamion CHRISTI, Spiritu Sancto afflatus lusit sapientissimus ille Salomon: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Et hoc pro themate assumpsimus, ut pro laude & gloria Domini Nostri JESU CHRISTI, simulq; Sanctissimæ Matris honore perpetuo, ac nostra eruditione, spirituali in hac die reficiamur pabulo.

Idcircò sermonem præsentem duabus absolvemus partibus. *Prima pars* ostendet Festi Conceptionis Virginis Gloriosæ excellentiam & præfigurationem. *Altera* submovebit fideles quosq; ad jucundam & sinceram ejus concelebrationem.

In prima parte recitabimus Festum Conceptionis Gloriosissimæ DEI Genitricis Virginis MARIÆ nobilissimum esse, & speciali sanctitate atq; excellentia illustre: eò quod in hac die singularis, nulli unquam hominum concessa, Divinæ potentiæ, & inæstimabilis gratiæ operatio apparuit. Porrò nemini lege naturæ genito, hâc

sola

solâ Virgine exceptâ absq; originali peccato in utero matris concipi concessum est. Ideoq; singulari devotione tanta DEI benignitas hodierna die in memoriam revocanda est, atq; in sancta DEI Genitrice Dominus DEUS laudandus, inhortante Regio Propheta *Laudate Dominum in Sanctis ejus.* Propter quod etiam frequentia majore in hac solenni die ad sacras ædes confluere oportet, eodem monente: *Constituite diem solennem in condensis usq; ad cornu altaris.* Verum ut nobis tantæ solennitatis ratio sit clarior, hoc scire conveniet.

Psal: 150.

Psal: 117.

Festum Immaculatæ Conceptionis MARIÆ Virginis, olim typis fuisse adumbratum legalib9. Inquit enim Beatus Augustinus tract: 28. super Joannem. *Omnia quæ dicta sunt antiquo populo Israel in multiplici scriptura sanctæ legis quæ agerentur, sive in Sacrificiis, sive in Sacerdotiis sive in diebus festis, & omnino in quibuslibet rebus, quibus DEUM colebant, quæcunq; illis dicta & præcepta sunt, umbræ fuerunt futurorum;*

hæc

hæc ille. Apud Judæos itaq; celebrabatur festum, & hactenus memoria fit celebris, decollationis Holofernis, Principis militiæ Regis Assiriorum, cui Sancta illa fæmina Judith suo gladio præcidit caput, sicut libri Judith *à cap. 8. usq; ad 12.* testatur historia. In cujus fine scriptum est. *Dies autem victoriæ hujus festivitatis ab Hæbreis in numero Sanctorum dierum accipitur & colitur à Judæis ex illo tempore usq; in præsentem diem.*

Judith: 16.

Festivitas illa umbraticia figurabat solennem Virginis MARIÆ victoriam, quâ virgo per Judith significata, inimicũ generis humani (Holoferne adumbratum) superavit. Præcidit enim caput diaboli, quandò originalis mali contaminationem, in quod totum genus humanum diabolus immerserat, evasit: sed videamus singula per ordinem.

Judith: 8.

Legimus de Judith quod *erat mulier eleganti aspectu nimis & in omnibus famosissima. quoniam timebat Dominum valdè, nec erat qui loqueretur de illa verbum malum.* Mulier

hæc

hæc sancta præfigurabat illam cui dixit Angelus Gabriel: *Benedicta Tu in mulieribus.* Luc: 1.

In confesso siquidem est omnes veteris legis viros justos Christum figurasse. Ita sine controversia tenendum est, omnes sanctas mulieres Virginem matrem adumbrasse. Undè & Ecclesia fatetur sanctam Judith typum gessisse Virginis, quoniam in ejus laudem assumit & canit præconium illud, quô Sacerdotes laudabant Judith dicentes. *Tu gloria Hierusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri.* Psal: 44.

Narrat deinde Scriptura Sanctam Judith fuisse elegantem nimis. Multò plùs erat Virgo benedicta elegantior, atq; formosior, ut corpore, ita animo. Decuit enim eam formosissimam fieri, quæ *speciosum forma præ filijs hominum* erat paritura. Licet verò formosissima esset mulierum, nemo tamen eam concupiscere potuit, quia virginitatem habuit transfusam, adeò ut ex aspectu ejus cæteri castitatem concipe-

rent. Divinus nempè aspectus, & fulgor quidam cœlestis, qui castissimæ Virginis vultum irradiabat, extingvebat intuentium concupiscentiam, veluti cum frigidus ros, quempiam obfundit ardorem. Et hoc nulli alteri Virgini fuit concessum, tametsi illæ non concupiscebant, concupiscebantur nihilominus. Sic impius Olibrius impudicè concupivit Divam Margaritham. Præfecti filius Agnetem. Maxentius Catharinam, aliasq; sacras Virgines impudenter insani homines deperibant. Solam hanc Virginem nemo concupivit, nisi totius pudicitiæ largitor & servator. De quo in Spiritu S. Propheta.

Psal: 44. *Quia concupivit Rex speciem tuam.*

Præterea Judith timet DEUM & nihil mali aliquis unquam de illa est locutus. Profectò talis fuit Virgo MARIA, ut ejus vita omnium virtutum fuerit disciplina, ait D. Ambrosius in lib: de Virginibus Rursùs. *Quemadmodum Sancta Judith cum summa victoria caput Holofernis amputavit, ad hunc etiam modum sed longè victoriosiùs Virgo beatissima caput*

caput diaboli præcidit. Teſtatur hoc ſcriptura primi libri Moyſis quæ ſic habet: Ait autem Dominus ad ſerpentem. *Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen illius, & ipſa conteret caput tuum.* Hoc impletum eſt in Sancta Virgine MARIA. Contrivit enim caput diaboli, id eſt peccatum originale, ſuo candore DEO præſervante ſuperavit, nec illi unquam ſubdita fuit. Quod verò peccatum originale caput ſit diaboli, teſtatur B. Auguſtinus ſuper Geneſim ad literam dicens. *Subjectum eſſe originali peccato eſt caput diaboli, eò quòd principium eſt, quò diabolus, in ſuam adducit poteſtatem.* Quandò ergò caput hoc contrivit Virgo beatiſſima, certum jam eſt eam ab originali malo fuiſſe prorsùs immunem. Nec ſunt audiendi Neo-chriſtiani tragediam formantes, dicentes, in contextu quem ex Geneſi recitavimus articulum eſſe maſculinum, & ad ſemen debere referri, quorum cavillationem doctiſſimè refellit D. Joannes Eckius tomo 5to ſuarum

Geneſ: 3.

Concionum contra Lutherum, ubi fidelem & pium lectorem remittimus.

Nobis satis sit in præsentiarum firmiter tenere Virginem caput diaboli amputasse. Legimus insuper de Sancta Judith, quia *percussit bis in cervicem & abscidit caput Holofernis*. Abscissio sonat divisionem capitis à corpore. Ita Virgo beata bis percussit in cervicem diaboli & amputavit caput ejus, quia & originale & actuale peccatum superavit. Corpus quippe diaboli congeries est peccatorum, juxta verbum Apostoli: *vetus homo noster crucifixus est ut destruatur corpus peccati*, diabolus scilicet. Hoc corpus *duplex* habet caput. Ideo etiam Christo loquitur Propheta. *Confregisti capita draconis*. *Primum caput* draconis originale peccatum est, de quo sapiens subinsinuat. *Non est caput nequius super caput colubri*. Serpens siquidem in capite venenum gestat; moxq; dum vulnerat aliquem, venenum immittit. Ita calidissimus ille supens diabolus totam naturam humanam vulnera-

Judith: 13

Rom: 6.

Psal: 73.

Eccl: 25.

vulneravit peccato originali, & veneno infecit. A quo licet per lavacrum regenerationis emundamur, manet nihilominùs fomes, id est pronitas ad malum. Apostolo testificante: *Non enim quod volo bonum hoc facio, sed quod nolo malum hoc ago.* & paulò post *Video aliam legẽ in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Rom: 7.

Aliud caput Diaboli est suggestio in peccatum actuale. Suggerit enim malum homini. Suggestionem sequitur delectatio, cui si adhibeatur consensus, deinde consvetudo, vel potius opus, jam totus illabitur serpens, & fit peccatum actuale mortale. Hæc duo diaboli capita Virgo benedicta abscidit. Originale quia nunquàm illo fædata est. Actuale quià nunquam venialiter aut mortaliter peccavit. Discat hic quilibet Christianus pro virili sua DEUM Omnipotentem sedulò rogare, ut gratiam suppeditet, quâ adjutus diaboli caput valeat amputare. Jam primum caput DEI gratiâ in baptismo abscidimus, curemus & alterum gladio pænitentiæ amputare. Quod ut consequa-

mur Virginis Matris imploremus auxilium, ut pro nobis ad Dominum intercedat.

ALTERA PARS.

SUperest charissimi, ut in hac die celebri alacribus animis DEO Optimo Maximo gratias agamus, quia ipsius gratiâ Virgo Beatissima diabolum confudit & superavit.

In multis locis Scripturæ veteris testamenti invenimus pro omni victoria laudem, & gloriam, & gratiarum actionem, Domino DEO Populum Israël decantasse, quemadmodum inExodo scriptum est. Dum Pharao Rex Egypti cum toto exercitu suo fluctibus maris rubri obrutus fuisset, & in profundum aquarum demersus. Cecinit Moyses filijs Israel carmen Domino & dixerunt: *Cantemus Domino* Exodi 15. *gloriose enim magnificatus est, equum & ascensorem projecit in mare;* & quæ sequuntur. Consimiliter etiam fecit Maria Prophetissa soror Aaron, sumens tympanum in manu sua cum cætu mulierum Israeliticarum

In libro Hester ad hunc modum factum esse invenimus, quando Dominus DEUS concessit Judæis victoriam ex hoste eorum Aman, constituerunt diem solennem, ut in eo omni tempore deinceps vacarent epulis: gaudio atq; convivijs, ubi etiam dùm Omnipotentem laudabant, pauperibus munera largiebantur, ut in *cap.* 9. ejusdem libri videre est. Hest: 9.

Ita quoq; de Judith victoria legimus, postquam occidit Holofernem, & venit ad portam Civitatis Bethuliæ, atq; ipsius mandato apertæ sunt portæ, populum ad se confluentem ita inhortata est. *Laudate Dominum DEUM nostrum qui non deseruit sperantes in se, & in me ancilla adimplevit misericordiam suam, quam promisit domui Israel &c.* Ipsius etiam canticum quod cecinit Domino *cap.* 16. Judith descriptum est. Eadem ratione et nos Christiani triumphum Virginis gloriosæ concelebrantes, laudemus DEUM Omnipotentem, gratias agentes Divinæ bonitati, quòd talem huic Virgini contulerit victoriam. Imite-

mur in hoc, Sanctos Spiritus Angelicos, de quibus narrat B. JOANNES in sua Apocalypsi. Dum præliaretur in cœlo Michaël & Angeli ejus cum dracone, atq; victus draco projectus esset de cœlo, serpens ille antiquus, qui vocatur diabolus, & sathanas, audita est vox magna in cœlo dicens: *Nunc facta est salus & virtus, & regnum DEI nostri, & potestas CHRISTI ejus, quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat eos die ac nocte ante conspectum DEI nostri &c.* Deinde sequitur: *Propterea lætamini cæli & qui habitatis in eis.* Horum exemplo gaudeamus hic etiam nos in terris, quia confusus est diabolus, nec aliquid virulentiæ suæ serpens ille antiquus in Virginem effundere potuit, DEI gratiâ ipsam protegente. Quod etiam in Sancta Judith adumbratum est. Cùm enim ingressa esset ad Holofernem erat confusioni proxima, tamen DEI protectione à confusione servata. Sic beatissima Virgo MARIA suapte naturâ potuit contrahere originale peccatum, DEI

Apoc: 12.

tamen gratiâ operante coram diabolo non est confusa. Hæc est illa fæmina de qua Vagio Eunuchus Holofernis exclamavit. *Una mulier Hæbrea fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonozor.* Judith. 17.

Ad extremùm pro excitanda Spirituali jucunditate & devotione duo accipiemus documenta. *Documentum primum.* Oremus fratres dilectissimi, ut intercedente pro nobis Virgine Gloriosa DEI Genitrice MARIA Dominus DEUS præservet nos à peccatis mortalibus, & ab omnibus inimici insidijs tueatur. Magna profectò in hac parte Virgo benedicta poterit nobis esse auxiliatrix, si modò eam ex animo obsecraverimus. Est enim terribilis vehementer dæmonibus Ecclesia canente. *Pulchra es & decora filia Hierusalem, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Figuratum est hoc olim, cum omnis exercitus Assyriorum decollatum Holofernem conspexisset, fugit mens & consilium ab eis, & solô tremore & metu agitati fugæ præsidium sumunt &c. figurabatur hoc fa-

ctô MARIAM terribilem esse dæmonibus. *Documentum postremum:*
Judith. 16. Legimus in lib: Judith. Quod gaudium victoriæ Judith per tres menses est celebratum. Ita & hoc festum trifariam concelebrare debemus.

Primò corde: devotè expendendo ejus ineffabile gaudium, quod habuit quando DEI beneficia, & amplissimam Domini DEI in se collatam gratiam frequentissimè meditabatur, maximè verò quòd eam Matrem filij sui ab æterno ordinavit, & temporum plenitudine veniente fieri voluit: cujus rei etiam sancta Ecclesia, sub tempore quo adventum Domini in carnem per quatuor hebdomadas celebrat, insignem facit memoriam, de Annuntiatione B. Virginis, singulis diebus matutinum faciens sacrificium. Conformemur Ecclesiæ & devotiùs recogitemus hodie ejus septem gaudia quæ habuit quandò filium DEI concepit, & in suo gestavit utero.

Primum gaudium. Ex Angelica salutatione, cùm in memoriam

revocabat frequentiùs, quis ille esset qui suum ad eam nuntium mittere dignatus est? DEUS scilicet Pater Omnipotens, DEUS magnus, & Rex magnus super omnes Deos. Deinde qualis fuit illa adnuntiatio: nobilis planè & singularis nunquàm olim audita, ut eadem esset Virgo & Mater, nec cujuscunq; hominis, sed Filij DEI, veri DEI, & Hominis.

Alterum gaudium habuit ex illius dulcissimi fructûs ventris sui benedicti conceptione, quem virtute Altissimi adumbrante concepit atq; citra omnem laborem, fastidium & molestiam novem mensibus portavit.

Tertium Gaudium. Ex Electione quòd ipsa præ cœteris in Matrem Filij DEI fuerit electa. Excitabant hoc gaudium verba Archangeli *Ecce concipies in utero & paries filium & vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus & Filius Altissimi vocabitur.* Luc: 1.

Quartum deinde Gaudium ex inventione gratiæ DEI. Quam nòn modò sibi, sed etiam toti Generi humano misero, atq: perdito in-

venit. Properea Angelus Gabriel ad eam dixit; *Ne timeas MARIA, invenisti enim gratiam apud Dominum*; Eam scilicet quam mulieres retroactis sæculis etiam sanctissimæ invenire non poterant. Idcircò etiam benedicta in mulieribus salutata est.

Quintum Gaudium. Ex dulcedine quæ in ipsius animam refundebatur ex dulcissimo quod gestabat pignore: Joannes Baptista ad præsentiam Domini in utero Virginis clausi exultavit præ gaudio. Quid putas quanta vis amoris mentem repleverat Sanctissimæ Virginis? maxima certè.

Sextum Gaudium. Ex temporis impletione Quià scilicet ejus sæculo hoc impletum esset, quod olim Patriarchæ, Prophetæ; Sancti deniq; Patres imò totum genus humanum à quinq; millibus annorum summis desiderijs anxiè expectabant. Sed indè auctum est illi ineffabile gaudium quod non solum illô tempore fuerit, quô DEUS Pater Unigenitum suum in terram misit, sed etiam Genitrix ipsius extitit.

Septi-

Septimum quod Gaudium, Ex partûs expectatione. Expectabat siquidem magnô gaudio illam Filij DEI Sanctissimam Nativitatem, ut suis oculis videret talem Filium, de quo in Ejus animam magna transfundebatur dulcedo, cujus ardebat amore, quem totius mundi Salvatorem & Redemptorem indubiè credebat. Hæc Divæ Virginis gaudia si piè meditabimur jam profectò cordibus nostris celebrabimus hanc solennitatem.

Secundo Festum hoc *ore* celebrandum est. Ne loquamur quidpiam contra Immaculatam Virginis Conceptionem, quin potiùs cantemus in honorem ipsius. Quod Joachim summus Pontifex Hierosolymorū in Bethuliam cum universis suis Presbyteris ut viderent Sanctam Judith cecinit dicens *Tu Gloria Hierusalem Tu lætitia Israel. Tu honorificentia populi nostri, quia fecisti viriliter.* DEI scilicet gratiâ inimicum superando.

Postremò opere quoq; festum hoc concelebrandum, pro virili cavendo omne peccatum. Licet namq;

omni die Christianus homo deberet esse expers sceleris, & criminis purus, præcipuè tamen in diebus festis abstinere tenetur à peccatis docente Beato AUGUSTINO sermone 257. de tempore. *Ita à nobis Sanctorum dierum festivitas agatur, ut relaxatione corporum puritas non obfuscetur, sed potius abstinentes ab omni lusu, ebrietate, lascivia, demus operam sobriæ remissioni, ac Sanctæ sinceritati*, hæc AUGUSTINUS, Ità etiam & Divus Apostolus PAULUS, qualis debeat esse Christianus istis descripsit verbis. *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis sicut decet Sanctos, aut turpitudo aut stultiloquium, aut scurrilitas, sed magis gratiarum actio, ut filij lucis ambulate. Fructus enim lucis est, in omni bonitate, justitia & veritate. Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum &c.*

Verùm quia fragiles sumus, & proni ad omne malum, frequentiusq; labimur, DEI Genitricis, Virginis MARIÆ imploremus patrocinium, ut pro nobis intercedat ad Dominum JESUM Christum

stum. Qui cum DEO Patre & Sancto Spiritu DEUS Trinus & unus regnat in sæcula benedictus. AMEN.

Conciones istæ tres ad populum habitæ sunt, ideoq; juxta captum audientium congestæ. Docet enim B. GREGORIUS in suo Pastorali. *Pro qualitate auditorum formandam esse vocem Doctorum.* Neq; eas aliter, quam pronuntiatæ sunt mutare voluimus, in gratiam eorum qui rudem erudiunt plebem. Etiam magis in his pietatem Christianam quam verborum lenocinia spectavimus. Undè qui eruditiores erunt, habebunt multos doctissimorum virorum libros, ubi se conferent. Satis visum est nobis simplici pietati ijs vel mediocriter excultis consulere, bona tamen spes habet animum nostrum, pium quemq; hos labores boni consulturum. Quibus autem hæc non placebunt, quærant quæ ipsis cordi fuerint.

Gloria Tibi Domine
Qui natus es de Virgine
Cum Patre & Sancto Spiritu
In sempiterna sæcula.

RE-

REGULÆ
A B OMNIBVS,
Qui vitam Religiosam professi sunt diligentius servandæ, ex docti cujusdam & pij Religiosi fragmentis deprom-ptæ, fusiusq́ descriptæ.

PRincipale studium Religiosi est conari die noctuq; ut anima sua sit Domino DEO conjuncta per orationem, & contemplationem, continuumq́; amorem actualem. Quod quidem nequaquam facere poterit nisi pacem mentis possideat. Quoniam *actus activorum, sunt in patiente benè disposito.* Ad possidendam autem pacem mentis, homo Religioni sibi præscriptæ addictus ita se disponat. Ante omnia removeat à se & procùl abigat amorem omnium creaturarum, usq; ad sui vilem contemptum. Hoc ut ei prosperè succedat advigilet; DEO Optimo Maximo frequentiùs se commen-

2. de animo.

det,

det, oret, gratiam ejus postulet, simulq; has quæ scriptæ sunt regulas diligentiùs observet.

Primum. Religiosus Vir, debet diligere paupertatem, quam, Christum pauperem imitando, DEO sua sponte vovit, eamq; tam privatim quam in communi observet, ut in animo suo firmiter constituat nullo modo velle se aliquid possidere, nec aliquid ad usum habere, nisi quod ei fuerit summoperè necessarium, atq; contemnat omnes divitias, magnas, & parvas, etiam & ipsa vestimenta, sine quibus honestè vivere non potest. Gaudeatq; de paupertate: quoniàm *verè pauper in paupertate gaudet.* Hinc ille magnus paupertatis amator D. AUGUSTINUS *Sermo: 40.* ad fratres in Eremo ita inhortatur ad servandam paupertatem. *Amemus fratres summam Christi & Apostolorum paupertatem, ne in nostra Sancta Religione mutetur color optimus, & dispergantur lapides Sanctuarij. Sanè enim fratres mei ex collatione aliarum paupertatum, commendatio voluntariæ paupertatis inter nos relucet.*

cet. Sunt enim quinq; genera paupertatis. Prima est infelicitas, hanc habet mendicus. Secunda paupertas cupiditatis, hanc habet avarus. Tertia Superfluitatis, hanc habet prodigus. Quarta dolositatis hanc tenet paries dealbatus. Quinta voluntatis hanc habet vir Religiosus. Prima est flagellum secunda venenum. Tertia ventilabrum. Quarta umbraculum. Quinta ædificium. Prima est misera, quia cruciat, secunda venenosa, quia necat. Tertia ventosa, quia inflat. Quarta dolosa, quia dissimulat. Quinta gloriosa, quia coronat. Hactenus AUGUSTINUS.

Secundo. In mente habens Domini nostri JESU Christi obedientiam & subjectionem ad Matrem suam, & Patrem putativum Joseph, simulq; eam obedientiam quâ factus est obediens Patri usq; ad mortem, mortem autem Crucis, studeat omni conatu; & omnibus viribus suis seipsum, non solum majoribus, sed etiam æqualibus, minoribus, & omnibus quibus expedit, & ut decet statum suum humiliter obedire.

Quod etiam Divus Apostolus testatur se fecisse dicens. *Cum liber essem ex omnibus, omnium me servum feci.* Ante omnia igitur vir Religiosus obediat Domino DEO, ejus mandata diligentissimè implendo. Vota quæ liberâ voluntate illi vovit, omni conatu custodiendo.

Mox deinde Prælato suo obediat. Quoniam *omnis potestas à DEO est.* Deinceps & alijs quibus tenetur. Beatus BERNARDUS in sermone de obedientia qui incipit. *Egredere de cognatione tua* obedientem istis verbis describit. *Fidelis obediens moram nescit, fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem prævenit, oculos parat visui, aures auditui, lingvam voci, pedes itineri, & totum se colligit, ut imperantis impleat voluntatem, non quæstiones habet, non murmura, nec excusationes,* hæc BERNARDUS.

Virtus hæc summoperè à Domino Deo est commendata 1mi Reg: 15. *Melior est obedientia quam victimæ.* Quibus verbis subscribens Beatus GREGORIUS ultimo mo-

ralium *Melior* (inquit) *quia per victimas aliena caro, per obedientiam propria voluntas mactatur,*

Tertio. Quantum ad votum castitatis, fugiat omnes illecebras ut non modò ab illicitis verùm & à licitis recreationibus abstineat, rationabili obsequio cum Apostolo castigans corpus suum, & in servitutem redigens. Cohibeat sensus à delectationibus. Non satisfaciat desiderijs suis, gemat intra seipsum, cantans in cordis amaritudine cum Ezechia Rege. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* Esaiæ 38vo.

Quarto. Ita studeat gubernare, linguam suam ut non modo ab illicitis & otiosis abstineat verbis, sed etiam necessaria in longum non portrahat. Loquaturq; semper de omnibus cum DEI timore. Et potiùs desideret audire, & doceri quam loqui. *Quia in multis offendimus omnes. Et qui in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* Jacobi 3tio. Porrò diabolus nullô subtiliùs religiosum decipit, quam loquacitate, per quam abstrahit eum

ab oratione, à beneficiorum Divinorum jugi meditatione, & Sacræ scripturæ lectione à quibus dum fuerit abstractus perdit omne robur mentis suæ.

Quinto. Caveat à distractionibus, quæ solent animum in partes dividere ut sunt curiositates sensuum & intellectûs. Qui enim volunt multa & inutilia videre, & audire, vel intelligere, dividunt cor suum, & manent dissipati, nec compuncti. Negotia igitur proximorum & facta aliena adeò sunt Religioso relinquenda, ut nec velit eorum minimam partem intelligere. Negotia etiam Conventûs, ipsis Officialibus penitùs relinquat. Quidam enim zelo indiscreto, qui non est secundùm scientiam, volunt omnia intelligere, videre, audire, & considerare, & inquietant semetipsos, impleturq; mens eorũ phantasijs, indignationibus, murmurationibus, nonnunquam invidia & ambitione, simulq; detractione, obtrectando, & perversè judicando non modo Præfectos, sed &

cœteros Fratres quosq; Si nullum habes officium inConventu, gaude quia quietior es. Si habes ea quæ ad illud pertinent, humiliter sine murmure aut quærela exequere. Nec desideres habere aliquod officium, sed esto contentus te ipso. Verè autem Religiosus, libentiùs suscipiet vilia quam honorifica. In summa ab omnibus quæ ab intentione Divinæ contemplationis impediunt (salvâ obedientiâ & charitate fraterna) Religiosus abstinere debet.

Sexto. Debet fugere hominum conversationem sæcularium, & dissolutorum, maximè, mulierum, & consangvineorum, solitudinemq; amare, nec unquam in publicum apparere, nisi pro necessaria, utili vel honesta causa, & semper breviter se expedire. Neminem tamen propter hoc judicet, aut contemnat, sed seipsum despiciens semper respiciat, & vilem in oculis suis arbitretur.

Septimo. Cum omni diligentia & summa solicitudine vacare debet orationi, & contemplationi, ita, ut sæpissi-

sæpissimè elevet mentem suam in DEUM & oret, tam in Ecclesia, quam in mensa, tam in domo, quam in theatro, tam sedendo quam ambulando, frequentiùs cum Davide orando. *DEUS in adjutorium meum intende. Misericordia tua Domine subsequatur me, omnibus diebus vitæ meæ.*

Jam quisquis in Religione constitutus, has septem servaverit & impleverit regulas, replebitur septem donis SPIRITUS Sancti, à quo omnino dirigetur, & perducetur ad ea, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se. Religiosi autem qui ista non considerant sed ambulant in vanitate cordis, sine consideratione finis sui, efficiuntur tepidi, inquieti, inobedientes, rebelles, ambitiosi, iracundi, murmuratores, detractores, susurrones, loquaces animales, duriores ad pænitentiam quam sæculares. Et nisi DEI misericordia præveniat, adjuvet, & subsequatur in præceps ruunt, difficillimè liberandi. Nam ut inquit

THOMAS Doctor Sanctus secunda secundæ quæstione 186ta articulo decimo ad tertium. *Religiosi ex malitia peccantes efficiuntur pessimi & incorrigibiles* Et Divus AUGUSTINUS in Epistola ad plebem Hypponensem dicit: *Quemadmodum nunquam expertus est meliores illis, qui in Monasterio profecerunt, ita nec deteriores his, qui in Monasterio defecerunt.*

Conemur igitur Fratres pro virili nostra, talem in Religione servare bonitatem, ut simus optima pars mundi, atq; selectissima JESU Christi viva, & DEO placens hostia, ut sic optimam in terra viventium acquiramus portionem. Quam omnibus suis fidelibus præstet DEUS Optimus Maximus in æternum benedictus. Amen.

Soli DEO Gloria.

Ad

Ad MARIAM

DEI Genitricem Supplicatio.

REbus in adversis unum Bona Mater asylum,
Solamen miseris inq; labore quies.
Sidera clausa diu referans, & tartara claudens,
Exelsoq; sedens glorificata throno.
Te DEUS & Terræ fecit, Cœliq; potentem.
Angeliciq; volant ad tua jussa chori,
Quin rerum tibi summa subest Regina jubesq;
Dicere si libeat, fors licet, altitono.
Tam potis o Mater, petimus mortalibus ægris
Sepè vocata fave, sis quoq; præsidio.
Desuper & nobis cœlô plue Diva salutem.
Summi Virgo Parens inviolata DEI.
Sis fragili præsens vitæ, delictaq; dele
Nostra, polum nobis quæso reconcilia.

FINIS.

SYMBO-

SYMBOLA
Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ VIRGINIS
MARIÆ,
CARMINE EXPRESSA.

Sicut STANISLAUS à ŁOWICZ *duodecim rationes proposuit pro* Immaculata Conceptione B. Virg: MARIÆ: *ita ego duodecim Symbola propono.*

SYMBOLUM I.
Immaculatæ Conceptionis B. Virg: MARIÆ

Est Adamas, de quo multæ tradunt Historiæ, quod alios Adamantes generet, unde illi potest addi Lemma: *Prolificando nihil candoris amittit.*

HÆc profert Adamas toti miracula mundo,
Quod prolem similem procreet atq; ferat:
Edendo partum, nil de candore remittit.
Omnia perfecti signa nitoris habet.
Pulchrior est Adamas Virgo: miracula mundo,
Quam majora tulit! progenerando Deum!
Sic generans primi nunquã candoris honorẽ,
Perdidit: unde Parens Immaculata manet.

SYMBO-

SYMBOLUM II.

Cryſtallus cum Lem: *Pura nitet intùs & extra.*

CRyſtalli ſpectes, ſi totum corpus ad extra,
Nullius maculæ ſigna modumq; refert.
Viſcera cryſtalli, ſi poſt conſpexeris intra,
Candoris ſimilis munera pura gerit.
Virginis Intactæ ſi cor luſtraveris intra,
Hoc totum puræ mentis honore micat.
Quod ſi Virgineum corpus conſpexeris extra,
Illud cryſtallô puriùs eſſe vides!

SYMBOLUM III.

Gemma Enydros dicta, quæ de ſe largas aquas ad inſtar fontis emittit, cum Lem: *Purior hôc fonte perenno.*

QUas effundit Aquas, Enydros fulgida gēma
Purior his ipſis tota perennat aquis.
Fonte DEO poſtquam fuerat perfuſa Maria.
Poſt effudit eum, ventre ſinuq; ſuo
Sed de Fonte DEO jam nobis purior arſit,
Iſtius Fontis pura perennat aquis.

SYMBOLUM IV.

Eſt Gemma Ætites dicta in cujus medio abſq; ulla læſione ſui, vel fiſſura, alius lapis clauſus reperitur, cum Lemmate: *Concepto non læſa lapillo.*

Ætitem

ÆTitem gravidum rerum natura creavit,
Nam lapidē proprio fert generatq; sinu.
Conceptô Gemma hæc, nunquā fit læsa lapillo
Nullaq; fissuræ publica signa refert.
Æquali methodo fuerat gravidata Maria,
Concepit prolis germina ventre suo.
Concepta sed tota DEO purissima mansit,
Fissuræ nulli signa relicta dedit.

SYMBOLVM V.

Gemma conchæ inclusa: cum Lemmate *Intra uterum jam pura fui.*

IN ventris gremio, vix constāt corpora terræ
Absq; nitore suo prorsùs opaca manent.
Sed dum concipitur fæcundâ, Gēma sub alvo,
Ventris in Arcano pura serena statim.
Virginis Excelsæ talis Conceptio prima!
In claustris uteri candida pura fuit!
Nec minimas maculas Annæ, contraxit in alvo,
Candorem primum ventris ab orbe tulit.

SYMBOLVM VI.

Mare cum Lemmate: *Maledictum nunquam.*

POst lapsū Dominus terræ maledixit & orbi,
Attamen irriguis non maledixit Aquis:
Hinc & Regna maris nunquam maledicta vocantur.
Quod densis constent, & satientur Aquis.

Talis

Talis jura maris præsentat Virgo Maria,
His quæ cum terris non maledicta fuit,
Si servavit Aquas maledicti vulnere Numen?
Cur non servavit Virginis omne decus?

SYMBOLVM VII.

Lilium cum Lemmate: *Impura, purum surgo, Parente.*

PRimus Adam vix se peccati polluit ausu,
Impuram terram fecit, & omne genus.
Ex hac impura nascuntur lilia terra,
Et tamen eximiè candida pura virent,
Sic Virgo quamvis, impura, nata, Parente
Ipsa tamen semper pura Virago micat!
Ac ait: *impurô consurgo pura Parente!*
A me longa manet prima nigredo notæ!

SYMBOLVM VIII.

Sol oriens cum Lemmate: *Prima lux immaculata mihi.*

QUamvis sol veniat tanquā telluris abyssō
Prima tamen lux est, immaculata sui.
Quamvis sol Virgo de terris orta Maria!
Lux sua prima nitens Immaculata fuit!

SYMBOLVM IX.

Aurum cum Lemmate: *Nulla rubigine vexor.*

QUamvis dura manent propria virtute metalla,

Hæc

Hæc rubigo potens, rodere sæpe solet:
Hoc vitio solum radians non roditur aurum,
Permanet ipsius soda per ampla nitor.
Verius est aurum Virgo: rubiginis ullum
Peccati nunquam senserat Illa malum.

SYMBOLVM X.

Nix cum Lemmate: *Meus est ab origine candor.*

PLurima quæ visus subtilis candida spectat,
Arte vel ingeniô, talia sæpe nitent.
Nix tamē hoc justo gaudet, præfulget honore,
Quod sibi candorem præstet origo Poli.
Veriùs est (inquit) meus ab origine candor,
Candidior quâvis Virgo MARIA nive.
Omnes terrigenæ censentur origine nigri
Sola Parens inquit: Candor origo mihi.

SYMBOLVM XI.

Laurus cum Lemmate: *Nunquam fulmine tangor.*

FUlminibus quævis fortissima tangitur arbor,
Sed laurus viridans fulmina nulla timet.
Quando genus totum peccati fulmine tactum,
Hoc tactu nunquam læsa Maria fuit.

SYMBOLUM XII.

Cythara bene ordinata cum Lemm:

Nec offendit in una.

DUm cytharæ nervi ſervantur in ordine certo,
Et dum continuat debita jura chelys.
Ingenuas aures tactu non lædit in uno,
Conformes edit pollice tacta ſonos.
Diſpoſitam rectè Cytharam ſi cernere curas?
Hæc eſt, conformis Virgo Maria DEO!
Ipſius nervos, ſic rexit ſponſus & Author,
Ut ſemper dulces redderet illa ſonos.
Et ſponſum proprium lapſu nec læſit in uno,
Unde manet reſonans Immaculata Chelys.

HYMNUS

De Immaculata Conceptione Beatiſſimæ Virginis MARIÆ.

MAter & Virgo ſine labe nata,
Candor intactus ſpeculumq; lucis,
Fac ut abluti Cruce, morte Chriſti,
Aſtra feramus.
Primus eſt vaſti Paradiſus orbis,
Inſcius culpæ, Colubriq; fædi
Auſer a nobis Colubri venena,
Toxica dele.
Arbor es vitæ ſive verme noxæ,
Abſq; peccati folijs creata,
Arbores mundi ratione claras,
Solve reatu.

Virga quâ Moyse Pharaonis arcus,
Fregit: hanc in te veneramur omnes,
Frange Tu nostri Pharaonis arma;
Discute fraudes.
Judith obscænos Holofernis ausus,
Trivit: evincas nova nostra Judith,
Quisquis ut nostrûm Stygios furores,
Frangat & orcum.
Ester exemit Dominator Author
Legis: ut mortem fugiat cruentam
Liberam fecit DEUS Ipse Primam,
Lege Mariam.
Mortis ut primæ fugiat rigores,
Labis ut nullam patiatur æstum,
Pondus à nobis scelerum repelle,
Criminis expers.
Anxias mentes, dubiosq; sensus
Tolle, qui morsus patiuntur intra
Lumen his addas: tribuasq; corde,
Dona quietis.
Pelle crudelis famis atra fata,
Pestis expugna mala, robur hostis,
Pacis optatæ bona confer oris
Virgo Polonis.
Sicut ignoras genus omne mortis,
Omnium nostrûm rege corda mortem,
Nullus in culpa moriatur: adsis
Mortis in hora.

BULLÆ

SUMMORUM PONTIFICUM,

Pro Immaculata Conceptione Sanctissimæ Virginis MARIÆ variis temporibus editæ: per quas confirmatur Sententia STANISLAI, à ŁOWICZ Canonici Regularis S. Sepulchri.

SIXTI IV.

CONSTITVTIO

De Festo Conceptionis Immaculatæ Virginis ex Libro tertio Extravagantium Communium, tit. *de reliquiis & Veneratione Sanctorum.*

Cùm præexcelsa meritorum insignia, quibus Regina Cælorum Virgo DEI Genitrix Gloriosa, sedibus prælata æthereis, sideribus, quasi Stella Matutina perrutilans, devotæ considerationis indagine perscrutamur, & infra pectoris arcana, revolvimus, quòd ipsa, ut pote via misericordiæ, Mater gratiæ, & pietatis Amica, Humani generis Consolatrix, pro salute Fidelium qui delictorum onere gravantur, sedula Oratrix, & pervigil, ad Regem quem genuit, interce-

tercedit, dignum quin potiùs reputamus, Universos Christi Fideles, ut Omnipotenti DEO (cujus Providentia ejusdem Virginis, humilitatem, ab æterno respiciens, pro concilianda suo Auctori humana natura, lapsu primi hominis æternæ morti obnoxia, eam sui Unigeniti habitaculum Sancti Spiritûs præparatione constituit, ex qua carnem nostræ mortalitatis pro redemptione populi sui assumeret, & Immaculata Virgo nihilominùs post partum remaneret, de ipsius immaculatæ Uirginis mira Conceptione gratias, & laudes referant, & instituta propterea in Ecclesia DEI, Missas & alia Divina officia dicant, & illis intersint, Indulgentijs, & peccatorum remissionibus invitare, ut exindè fiant ejusdem Virginis meritis, & Intercessione Divinæ gratiæ aptiores. Hâc igitur consideratione inducti, ejusdem Omnipotentis DEI, ac Beatorum PETRI & PAULI Apostolorum ejus, auctoritate confisi, Auctoritate Apostolica, hâc in perpetuum valitura Constitutione statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli Christi Fideles, utriusq; sexûs. qui Missam, & Officium Conceptionis, ejusdem Virgi-

nis Gloriosæ, juxta piam, devotam, & Laudabilem Ordinationem dilecti Filij Magistri LEONARDI de Nogarolis, Clerici Veronensis Notarij Nostri, & quæ desuper à Nobis emanavit, Missæ & Officij ejusmodi Institutionem, in die Festivitatis Conceptionis ejusdem Virginis MARIÆ, & per Octavas ejus devotè celebraverint, & dixerint, aut illis Canonicis interfuerint: quoties id fecerint, eamdem prorsùs indulgentiam, & peccatorum remissionem consequantur, quam juxta Felicis recordationis URBANI *IV.* in Concilio Viennensi approbatæ, ac MARTINI V. & aliorum Romanorum Pontificum Prædecessorum Nostrorum Constitutiones consequntur illi, qui Missam, & horas Canonicas in Festo Corporis, & Sangvinis Domini Nostri JESU Christi, à primis Vesperis, & per illius Octavas, juxta Romanæ Ecclesiæ Constitutionem celebrant, dicunt, aut Missæ, & Officio & Horis hujusmodi intersunt, præsentibus perpetuis temporibus valituris.

Datum Romæ apud S. Petrum, Annô Incarnationis Dominicæ 1476. 3. Kalend: Martij.

Pontificatûs Nostri Annô Sexto.

CON-

CONSTITUTIO, ALTERA.

GRavè nimis gerimus, & molestum, cùm sinistra Nobis de quibusdam Ecclesiasticis Personis referuntur. Sed in eorum qui ad Evangelizandum verbum DEI sunt deputati, excessibus prædicando commissis, eò graviùs provocamur, quò illi periculosiùs remanent incorrecti; cum facilè deleri nequeant, qui multorum cordibus, sic publicè prædicando diffusiùs, & damnabiliùs imprimuntur errores. Sanè cum Sancta Romana Ecclesia de intemerata semperq; Virginis MARIÆ Conceptione publicè solemniter celebret, & speciale, ac proprium super hoc Officium ordinaverit, nonnulli, ut accepimus diversorum Ordinum Prædicatores in suis sermonibus ad Populum publicè per diversas civitates, & terras affirmare hactenùs non erubuerunt, & quotidie prædicare non cessant, omnes illos, qui tenent, aut asserunt, eandem Gloriosam, & Immaculatam DEI Genitricem absq; Originalis peccati macula fuisse conceptam mortaliter peccare, vel esse hæreticos,

ejuſdem Immaculatæ Conceptionis Officium celebrantes, audienteſq; ſermones illorum, qui eam ſine hujuſmodi macula conceptam eſſe affirmant, peccare graviter: ſed & præfatis prædicationibus non contenti, confectos ſuper his ſuis aſſertionibus libros in publicum ediderunt; ex quorum aſſertionibus, & prædicationibus, non levia ſcandala in mentibus Fidelium exorta ſunt, & majora meritò exoriri formidantur indies.

Nos igitur hujuſmodi temerarijs auſibus, ac perverſis aſſertionibus, ac ſcandaloſis, quæ exinde in DEI Eccleſia exoriri poſſunt, quantùm Nobis ex Alto conceditur, obviare volentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis ſuper hoc oblatæ petitionis inſtantiam, ſed de Noſtra mera deliberatione, & certa ſcientia, hujuſmodi aſſertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præſumerent, eos, qui crederent, aut tenerent, eandem DEI Genitricem ab originalis peccati macula in ſua Conceptione præſervatam fuiſſe, propterea, alicujus hæreſis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare: aut hujuſmodi Officium Con-

ceptionis

ceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes, alicujus peccati reatum incurrere, utpote falsas, & erroneas, & à veritate penitùs alienas, editosq; desuper libros prædictos, id continentes; quò ad hoc Auctoritate Apostolica, tenore præsentium reprobamus, & damnamus: ac motu, scientia, & Auctoritate prædictis statuimus & ordinamus, quòd Prædicatores Verbi DEI, & quicunq; alij, cujuscunq; Statûs gradûs, aut Ordinis, ac conditionis fuerint, qui de cœtero ausu temerario præsumpserint, in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per Nos improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, postquam de præsentibus scientiam habuerint; excommunicationis sententiam eô ipso incurrant, à qua ab alio, quam à Romano Pontifice (nisi in mortis articulo) nequeant absolutionis beneficium obtinere. Item motu, scientiâ, & Auctoritate similibus, simili pænæ, ac censuræ subijcientes eos, qui ausi fuerint asserere contrariam opinionem tenentes, videlicet: Gloriosam Virginem MARIAM cum Originali pec-

cato

cato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale; cum nondum sit à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum: non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis contrarijs quibuscunq;, quibus communiter, vel divisim à sede Apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per Literas Apostolicas, non facientes plenam, ac expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Et ne de præmissis aliquando valeant ignorantiam allegare, volumus, quod locorum Ordinarij requisiti præsentes literas in Ecclesijs consistentibus in eorum Civitatibus, & suarum Diœcesum locis insignibus, dum major ibi multitudo Populi ad Divina convenerit, sermonibus ad Populum mandent, & faciant publicari.

Præterea, quià difficile foret præsentes literas ad singula loca, in quibus expediens fuerit, deferre: etiam volumus, & dicta Auctoritate decernimus, quod earundem Literarum transumpto, manu Publici Notarij confecto & Authentico, alicujus Prælati Ecclesiastici Sigillô munito, ubiq; stetur pro-

ut stare-

ut staretur eisdem originalibus literis, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam Nostræ reprobationis, Statuti, Ordinationis voluntatis, & Decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Annô Incarnationis Dominicæ 1483. Pridie Nonas Septembris. *Pontificatûs Nostri Annô Decimo Tertio.*

Ex Concilio Tridentino Sessione Quinta Celebrata *Die* 18. *Juny* 1546.

De peccato Originali.

DEclarat tamen hæc ipsa Synodus, non esse suæ intentionis, comprehendere, in hoc decreto, ubi de peccato Originali agitur Beatam, & Immaculatam Virginem MARIAM, DEI Genitricem, sed observandas esse Constitutiones fel: recor: SIXTI Papæ IV. sub pænis in eis constitutionibus contentis, quas innovat.

PIUS

PIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

SUper ſpeculam Domini, viribus licet exiguis conſtituti, Prophetæ ſolitudinem imitantes, die, noctéq; ad diverſos Eccleſiæ ſtatus, noſtræ mentis aciem intendimus, ſtudioſè providentes, ùt communi Domino ab omnibus gradibus, fideliter ſerviatur, ac illis maximè, quibus digniora Miniſteria Divini Spiritûs favore credita ſunt, inter quos Divini Verbi Prædicatores adnumerandos eſſe nemo dubitare poterit, qui eorum murus ab ipſo Domino conſecratum, Apoſtolis præcipuè injunctum fuiſſe animadverteret, qui ſi adepto gradu dignè fungerentur, evangelizantes pacem, annuntiantes bona, prædicantes ſalutem, non ſolùm vox eorum dulcis, verùm, & ſpecioſi pedes viderentur, & fraternæ ſalutis uberes fructus referentes, multam fiduciam haberent in die Domini. Verùm quòd neq; ſine animi dolore accepimus, nec referre poſſumus, quidam diverſorum Ordinum Regulares, Clericiq; Sæculares,

omiſſis

omissis, quæ Divinæ Majestatis gloriam, Sanctissimæ DEI Genitricis, aliorumq; Divinorum venerationem, atq; fidelium pietatem promovere poterant, quod Apostolus in quibusdam arguit, langvent circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, & contentiones, cæteraq; vitiorum monstra, potissimùm verò cum de Gloriosæ Virginis MARIÆ Conceptione Sermo inciderit, tam pertinaciter, pro alterutra parte contendant, ac si de ijs dogmatibus esset, quæ corde credere Justitiam ore confiteri ad salutem necessarium est. Quibus illud Prophetæ convenire videtur, *dicunt enim ait Dominus cum ego non sim locutus*; cum Sancta Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum Magistra, & Doctrix Disciplinæ de ea re hucusq; non definierit, nemo absq; temeritate, præjudicare, vel alterius partis sententiam damnare potest, & quasi desint præclarissima inventricis gratiæ merita, quæ nec Angelica quidem lingva satis dignè referri possunt, & cum ex illo uberrimo fonte, puteoq; aquarum viventium, non possint saluberrimas haurire aquas, quibus fidelis Populus magna cum utilitate,

atq; dulcedine, reficeretur, ad dissipatas cisternas occurrunt, stultas, & sine disciplina quæstiones; quæ generant lites, quas nec frequens multitudo intelligere, nec viri sapientes, qui capiunt, utiliter percipere valeant, præsertim quoniam ut experimento didicimus ipsorum Concionatorum, qui ad quæstiones hujusmodi proponendas facilius erumpere solent, major numerus materiæ difficultatem prorsùs ignorantes, neq; intelligentes quæ loqvuntur, aut de quibus affirmant, simplicium animos indiscretæ devotionis obtentu, vel potiùs loquacitatis, & ostentationis effectu, ad tumultus, & simultates concitant, quos tumultuantes, atq; diffidentes componere, sedareq: potiùs oportebat. Cumq; parvulis in Christo lac infundere, provectis solidum cibum apponere deberent, dum in hujusmodi controversijs interminatis versantur omnibus ubera proferunt arentia, quod non absq; maledictionis nota legimus in Propheta.

§ 1. Nos igitur, qui Prædecessorum Nostrorum saluberrima Decreta pro viribus salva esse cupimus, potissimùm illa, quæ à Sacrosancta Synodo Triden-

tina

tina denuo sunt confirmata, liberam cuicunq; facultatem relinquentes opinandi hujus controversiæ quamlibet partem, prout vel magis piam, vel magis probabilem esse judicaverit. Prædicatorum igitur Concionatorum aliorumq; contentioni, atq; temeritati, populorumq; scandalis occurrere studentes, motu proprio, non ad alicujus Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa Nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, Statutum Fel: recordationis SIXTI Quarti Prædecessoris Nostri super ea re, quod à præfata Synodo innovatum est (:illud præsentibus, ac si de verbo ad verbum esset insertum, pro plenè, & sufficienter expresso, & inserto habentes:) Apostolica Authoritate tenore præsentium confirmamus; & approbamus.

§ 2. Atq; deinceps ut efficaciùs à cunctis observetur perpetuò statuimus, & ordinamus, ac per Apostolica scripta mandamus, quatenùs nemo cujuscunq; Ordinis, gradus, Conditionis, vel Dignitatis, existat, in popularibus concionibus, vel ubicunq; promiscua virorum, & mulierum multitudo convenire solet, de hujus controversiæ alter-

utra parte disputare rationibus, vel Doctorum Authoritate asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, aut impugnando, vel de hac ipsa quæstione, cujusvis pietatis, aut necessitatis prætextu vulgari sermone scribere, vel dictare præsumant. Qui contra fecerit suspensionis pænam à Divinis absq; nova declaratione ipsô factô incurrat, si modo fuerit in sacris constitutus, & quocunq; prætereà gradu, sive dignitate, vel administratione fungatur, illis omnibus sit ipso jure privatus, & ad eadem, vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censura ipsô etiam factô sit obnoxius, super quibus, nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, & absolvi non possit. Et nihilominùs alijs pænis, si opus fuerit, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subijciatur, prout subijcimus.

§. 3. Cœterum quamdiu per Apostolicam sedem, altera pars definita non fuerit, oppositaq; sententia condemnata, liceat Uiris doctis in publicis Academiæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium capitulorum, vel ubi alias intersunt, qui rem capere

re possunt, nec scandali ulla subest occasio, de illa quæstione differere, & argumentis, utramlibet partem, vel asserere, vel impugnare, dum tamen neutra, veluti erronea prædicetur, serventurq; illa omnia, quæ à dicto Sixto Prædecessore Nostro Statuta sunt, quorum singula, ut præfertur, etiam quantum ad alias pænas duximus innovanda, & innovamus per præsentes.

§. 4. Ut autem hæc nostra Constitutio, & præmissa omnia, ad eorum omnium, quorum interest, notitiam congruentiùs pervenire possint, in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna privationis ab ingressu Ecclesiæ, etiam eô ipsô incurrenda, si in his, quæ mandamus exequendis se negligentes exhibuerint, præcipimus, & mandamus omnibus, & singulis locorum Ordinarijs, ac eorumdem Vicarijs Suffraganeis, & Officialibus quibuscunq; & alijs singulis ad quos quomodolibet spectat, & pertinet, quatenùs hujusmodi Nostram Constitutionem singulis suæ Diœcesis, vel districtûs Prædicatoribus, & alijs quibus expedire judicaverint oportunè insinuent, & publicent, ac insinuari, ac publicari, faciant. Et ne

quis

quis inposterum quoquo modo ignorantiam de præmissis possit prætendere, aut se contra præmissa, valeat excusare.

§. 5. Volumus, & similiter eadem auctoritate decernimus, & mandamus, quod præsentes literæ per aliquos ex Nostris Cursoribus in Basilicarum S. JOANNIS Lateranensis, ac Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valvis, ac in Acie campi Floræ de Urbe de more publicentur, & affigantur, & illis inde amotis remaneant in eisdem locis earumdem exempla affixaquæ publicatio, & affixio, ità omnes ad quos spectat afficiat, & arctet, ac ſi illis personaliter intimatæ fuissent.

§. 6. Non obstantibus Constitutionibus, ac quibusvis Indultis & Literis Apostolicis quibusvis personis, etiam quantumcunq; qualificatis, & in quacunq; etiam Cardinalatus, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia dignitate, & honore constitutis, etiam quod interdici, suspendi, vel excommunicari nequeant quomodolibet concessis, quæ eis contra præmissa in aliquo suffragari non posse decernimus, cœterisq; contrarijs quibuscunquè.

§ 7. Volumus insuper, & decernimus,

mus,

mus, quod præsentes vim perpetuæ, & irrefragabilis Constitutionis obtineant, & quod illarum transumptis, etiam impressis manu alicujus Notarij subscriptis, & Sigillô alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur, si ostensæ, exhibitæ forent.

Regula Cancellariæ Nostræ Apostolicæ quacunq; in contrarium disponente, non obstante.

§ 8. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis, Statuti, Ordinationis, mandati, subjectionis, innovationis, præcepti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis DEI, ac Beatorum PETRI, & PAULI Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Dat: Romæ apud S. PETRUM Annô Incarnationis Dominicæ: Millesimô Quingentesimô Septuagesimô. Pridie Kalend Decembris.

Pontificatus Nostri Annô Quinto.

ANnô à Nativitate D. N. JESU Christi 1570. Indictione 13. Die verò

7. Mensis

7. Mensis Decembris Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. PII. Divina Providentiâ Papæ V. Annô V. retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in Basilicarum S. JOANNIS Lateranensis, & Principis Apostolorum de Urbe, ac Cancellariæ Apostolicæ Valvis, & in Acie Campi Floræ dimissis illarum copijs affixis, per Nos JOANNEM ANDREAM PANIZZAM, & PETRUM ALOISIUM GAITAM, prælibati S. D. N. Papæ Cursores. CAMILLUS CHER Mag: Cursor.

Innovatio Constitutionum à SIXTO IV. & PIO V. de Conceptione B. V. MARIÆ editarum. Impositioq; majorum pænarum in transgressores, à locorum Ordinarijs, & hæreticæ pravitatis Inquisitoribus puniendos.

B U L L A

PAULUS PAPA.

Ad perpetuam rei memoriam.

REgis pacifici, quamquàm ullo Nostro meritò, Divina dispositione vicesgerentes in terris ex muneris Nostri debito pacis, & concordiæ inter

sti Fideles, præsertim Ecclesiasticas Personas, quæ alijs in viam pacis dirigendis, & in unitate Spiritûs continendis sunt præpositæ, conservationi sedulò invigilare cupientes, ea quæ à Prædecessoribus Nostris Rom: Pontif. ad scandalorum semina colenda salubriter instituta sunt, cum hostis antiqui insidijs, qui ab initio dissidia serere cæpit, minimè observari, aut varijs modis eludi dignoscuntur, ut inviolata serventur opportunis remedijs, quantùm cum Domino possumus, providemus.

§. 1. Olim siquidem per felicis recordationis SIXTUM Papam Quartum Prædecessorem Nostrum acceptô quòd nonnulli diversorum Ordinum Prædicatores, in suis Sermonibus, ad populum publicè per diversas Civitates, & Terras affirmare non erubuerant, quotidie prædicare non cessabant, omnes illos, qui tenebant, aut asserebant Gloriosam, & Imaculatam DEI Genitricem absq; originalis peccati macula fuisse conceptam, mortaliter peccare, vel esse hæreticos ejusdemq; Immaculatæ Conceptionis officium celebrantes, audientesq; Sermones illorum, qui eam sine hujusmodi macula conceptam esse

affirmabant, graviter peccare, sed & prædictis prædicationibus non contenti, confectos super ejusdem suis assertionibus libros in publicum ediderant, ex quorum assertionibus, & prædicationibus non levia scandala in mentibus Fidelium exorta erant, & majora meritò exoriri formidabantur indies; Idem SIXTUS Prædecessor, hujusmodi temerarijs ausibus, & perversis assertionibus, & scandalosis quæ exindè in DEI Ecclesia exoriri poterant obviare volens, hujusmodi assertiones Prædicatorum eorundem, & aliorum quorumlibet, qui affirmare præsumerent; eos qui crederent, aut tenerent eandem DEI Genitricem ab originalis peccati macula in sua Conceptione præservatam fuisse, propterea alicujus hæresis labe pollutos fore, vel mortaliter peccare aut hujusmodi Officium Conceptionis celebrantes, seu hujusmodi sermones audientes alicujus peccati reatum incurrere, utpotè falsas, & erroneas, & à veritate penitùs alienas, editosq; desuper libros prædictos id continentes, quò ad hoc reprobavit, & damnavit, ac statuit, ordinavit, quod Prædicatores Verbi DEI, & quicunq; alij cujuscunq;

cunq; status, gradus, aut ordinis, & conditionis essent, qui ausu temerario præsumerent in eorum sermonibus ad populum, seu alias quomodolibet affirmare, hujusmodi sic per eum, improbatas, & damnatas assertiones veras esse, aut dictos libros pro veris legere, tenere, vel habere, excommunicationis sententiam eo ipso incurrerent, à quo ab alio, quàm à Romano Pontifice, nisi in mortis Articulo, nequirent absolutionis beneficium obtinere. Similiq; pœnæ, & censuris subiecit eos, qui ausi essent asserere contrariam opinionem, tenentes videlicet, Gloriosam Virginem MARIAM cum originali peccato fuisse conceptam, hæresis crimen, vel peccatum incurrere mortale, cùm nondum id esset à Romana Ecclesia, & Apostolica Sede decisum.

§. 2. Hanc vero SIXTI Prædecessoris Constitutionem Oecumenica Tridentina Synodus posteà innovavit.

§. 3. Ac deindè similis recordationis PIUS Papa Quintus, etiam Prædecessor Noster, statuit, ordinavit, & mandavit, quatenùs nemo, cuiuscunq; Ordinis, vel Dignitatis existeret, in popularibus Concionibus, vel ubicunq; promiscua

virorum & mulierum multitudo convenire solet, de huius controversiæ alterutra parte disputare rationibus, vel Doctorum Auctoritate, asserendo propriam sententiam, & contrariam refellendo, vel impugnando, aut de hac ipsa quæstione cuiusvis pietatis, aut necessitatis prætextu, vulgari sermone scribere, vel dictare præsumeret. Qui contrafaceret suspensionis pænam, à Divinis absq; nova declaratione ipso facto incurreret, si modo esset in sacris constitutus, & quôcunq; præterea gradu, sive dignitate, vel administratione fungeretur, illis omnibus foret ipso iure privatus, & ad eadem vel similia munera obtinenda, vel obeunda perpetuæ inhabilitatis censuræ ipso etiam facto obnoxius foret, super quibus nisi à Romano Pontifice pro tempore existente dispensari, sive absolvi non posset, & nihilominùs aliis pænis, si opus foret, à proprio Prælato pro delicti mensura infligendis subiectus esset, proùt subiecit.

§. 4. Cæterum quamdiu per Apostolicam Sedem altera pars definita non esset, oppositaq; sententia condemnata, liceret Viris doctis in publicæ Academiæ

miæ disputationibus, sive Generalium, aut Provincialium Capitulorum, vel ubi alias interessent, qui rem capere possent, nec scandali ulla subesset occasio, de illa quæstioné disserere, & argumentis, utramlibet partem asserere, vel impugnare, dum tamen neutra veluti erroneà prædicaretur, servarenturq; illa omnia, quæ à dicto SIXTO Prædecessore statuta sunt, quorum singula etiam quantùm ad alias pœnas duxit innovanda, & innovavit, prout in SIXTI, & PII Prædecessorum literis desuper confectis pleniùs continetur.

§. 5. Verùm licet hæc providè statuta sint, nihilominùs sicut accepimus, nonnulli in diversis Christiani orbis partibus, interminatis quæstionibus nimis intenti, dissentionum huiusmodi, iam pridem Ecclesiasticæ disciplinæ vigore recisa germina coalescere procurant, indeq; contentiones, & rixæ non sine DEI offensa, & scandalo plurimorum exortæ sunt, & graviores indies nè exoriantur periculum est, nisi à Nobis opportunè provideatur.

§. 6. Quamobrem motu proprio, non ad alicuius Nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex certa

ſcientia, ac matura deliberatione Noſtris, Conſtitutionum SIXTI & PII Prædeceſſorum, huiuſmodi veriores tenores, præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, eaſdem Conſtitutiones Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus, & confirmamus, & etiam quò ad earum pœnas quaſcunq; etiam abſolutionis reſervationem innovamus, & inviolabiliter ab omnibus, etiam Regularibus cuiuſcunq; Ordinis, & Inſtituti, & alias quibuſcunq; tam Eccleſiaſticis, quàm Sæcularibus Perſonis, cuiuſvis ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis, aut dignitatis, tam Eccleſiaſticæ, quam Sæcularis, etiamſi ſpecialis, ſpecifica, & individua earum eſſet neceſſariò facienda mentio, obſervari præcipimus, & mandamus donec à Romana Apoſtolica ſede huiuſmodi controverſia fuerit diffinita.

§. 7. Ac præterea ſi quis quovis modo contravenerit, præter ſuprà dictarum conſtitutionum pœnas, reſpectivè ipsô factô incurrendas, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi perpetuæ inhabilitatis pœnas ſimiliter ipsô factô incurrat, abſq; alia declaratione, à quibus nonniſi

nisi à Nobis ipsis, vel Successoribus Nostris Roman: Pontificibus pariter absolvi, seu super iis dispensari possit; & nihilominùs aliis pœnis Nostro & eorundem Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, subiiciatur, prout eum subiicimus per præsentes.

§. 8. Et contra huiusmodi transgressores, etiam Regulares cuiuscunq; Ordinis, & Instituti. etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunq; Ecclesiasticas, & sæculares personas, cuiuscunquè status, gradus, ordinis aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quàm Sæcularis, ut præfertur, tam Episcopi & Prælati Superiores, aliiq; Ordinarii locorum, quam hæreticæ pravitatis ubiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & inquirant, atq; in eos severè animadvertant.

Nos enim iis, & eorum cuilibet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi & puniendi liberam facultatem, & auctoritatem iisdem auctoritate, & tenore tribuimus, & impartimur, eosq; ut præfertur procedere, inqurere, & punire præcipimus, & mandamus.

§. 9. Non obstantibus omnibus iis, & singulis, quæ tam SIXTUS, quam PIUS Prædecessores prædicti in literis suis huiusmodi voluerunt non obstare. Quibus omnibus, & singulis, eorum tenore præsentium pro plenè, & sufficientèr expressis, & ad verbum insertis habentes, hâc vice duntaxat specialiter, & expresè derogamus. Cæterisq; contrariis quibuscunquè.

§. 10. Et ne præmissorum ignorantia à quoquam prætendi possit, volumus, & dicta authoritate decernimus, quod præsentes literæ, seu illarum exempla ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Aciè Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant Perindè, ac si unicuiq; personaliter intimatæ fuissent.

§. 11. Quodq; præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillô alicuius Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. MARIAM Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 6 Julij, Millesimo, Sexcentesimo Decimo Sexto.

Pontificatûs Nostri Annô Duodecimo.

Annô à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI, Millesimo, Sexcentesimo, Decimo Sexto, Indictione decima quinta, die verò nona mensis Julij, Pontificatûs Sanctiss: in Christo Patris, & Domini Nostri D. PAULI Divinâ Providentiâ Papæ V, Annô duodecimo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ, per me Augustinum Bracherium Cursorem

Silverius Pontirolus Mag. Cursor.

Ampliatio, & declaratio prohibitionis asserendi B. V. MARIAM conceptam fuisse in peccato originali.

IN Generali Congregatione Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico in Monte Quirinali coram S. D. N. GREGORIO Divinâ Providentiâ PP. XV. ac Illustriss: & Reverendiss: DD. S. R. E. Card. adversùs hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis. Feria 3. die 24. Maij Annô à Nativitate D. N. JESU CHRISTI 1622.

SAnctissimus D. N. auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum

DD. Cardinalium, contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, decretum, alias editum à fel: rec: PAULO V. ejus Prædecessore, tenoris sequentis, videlicet.

Sanctissimus Dominus Noster, post longam, & maturam discussionem, auditis votis Illustrissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium contra pravitatem hæreticam Generalium Inquisitorum, re accurratè, & diligenter perpensa providè considerans, quòd quamvis in Constitutione fel: rec: SIXTI IV. super *Conceptione* Beatissimæ Virginis MARIÆ pro submovendis inter Christi fideles scandalis, rixis, & contentionibus edita à S. Tridentina Synodo innovata, & deinde in alia constitutione San. Mem. PII V. super eadem re, quas similiter Sanctitas innovavit, cum quibusdam provisionibus, & adjectionibus pœnarum pro efficaciori earum observatione, relinquatur unicuiq; libera facultas tenendi, & etiam asserendi, utramq; partem, quod scilicet fuerit, vel non fuerit concepta cum peccato originali, & dum tamen neutra veluti erronea, aut hæretica damnetur, nihilominùs ex occasione asser-

tionis affirmativæ in publicis concionibus, lectionibus, conclusionibus, & actibus publicis, quod eadem Beatissima Virgo fuerit cum peccato originali concepta, oriuntur in Populo Christiano, cum magna DEI offensa scandala, jurgia, & dissensiones. Propterea volens hujusmodi scandalis, ex debito sui muneris providere decrevit, & præcepit, ac præsentis decreti virtute mandat, & præcipit omnibus, & singulis, cujuscunq; Ordinis, & Instituti Regularibus, & alijs quibuscunq; tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus Personis cujusvis conditionis, status, gradus, Ordinis aut dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis, etiamsi specialis specifica, & individua earum esset necessariò mentio facienda, ut in posterum, donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica fuerit definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, non audeant in publicis Concionibus, lectionibus, Conclusionibus, & alijs quibscunq; actibus publicis asserere, quod eadem Beatissima Virgo fuerit concepta in peccato originali; contrafacientes autem eadem Sanctitas sua voluit, & de-

claravit

claravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pœnis contentis, in supradictis constitutionibus suorum Prædecessorum, & sua, ipsô factô incurrendis: Per hujusmodi tamen provisionem Sanctitas sua non intendit reprobare alteram opinionem, nec ei ullum prorsùs præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis in quibus de præsenti reperitur, præterquam quò ad supra disposita. Ulteriùs sub eisdem censuris, & pænis mandans, quod negativam opinionem, videlicet, quod non fuerit concepta cum peccato originali, in prædictis publicis actibus asserentes, aliam opinionem non impugnent, nec de ea aliquo modo agant, seu tractent. Insuper voluit, & expressè mandavit, ut extra hos casus expressos publicorum actuum, & reliquis omnibus supradictæ Constitutiones firmæ, & illæsæ remaneant, & exactè observentur perindè, ac si præsens Decretum non emanasset. Et ita decrevit, & mandavit, ubiq; inviolabiliter observari, non obstantibus, in hac parte supradictis constitutionibus, & alijs omnibus, in contrarium facientibus.

§. 2. Hoc suo præsenti decreto, ex

eisdem

eisdem causis evitanda scandala, dissensiones, atq; discordias in Populo Christiano, quæ pari ratione oriri possunt, & ut accepit, in aliquibus Regionibus jam ortæ sunt ex sermonibus privatis occasione assertionis affirmativæ, extendit, & ampliavit etiam ad privata colloquia, scripta, mandans, & præcipiens omnibus, & singulis supradictis, nè de cætero, donec articulus hujusmodi à Sede Apostolica definitus, vel per Sanctitatem suam, & Sedem Apostolicam fuerit aliter ordinatum, neq; etiam in sermonibus, & scriptis privatis audeant asserere, quòd eadem Beatissima Virgo fuerit concepta cum peccato originali, nec de hac opinione affirmativa aliquomodo agere, seu tractare, exceptis tamen; quibus à Sancta Sede Apostolica fuerit super hoc specialiter indultum. Per hoc tamen Sanctitas sua non intendit reprobare hanc opinionem, nec ei ullum prorsùs præjudicium inferre, eam relinquens in eisdem statu, & terminis, in quibus reperitur, præter quam quò ad in supradicto fel: recor: PAULI V. & hoc suo decreto disposita.

§. 3. Eademq; Sanctitas sua voluit,

& expressè mandavit, ut in reliquis omnibus, ubi hujusmodi Decretis non adversantur, Constitutiones SIXTI IV. ALEXANDRI VI. & PII. V. ac PAULI V. ejus Prædecessorum super Conceptione Beatissimæ Virginis, firmæ, & illibatæ remaneant, ac exactè observentur perindè, ac si hujusmodi decretum non emanasset.

§. 4. Insuper eadem Sanctitas sua, cum Sancta Romana Ecclesia de Beatiss: Virginis Conceptione Festum solemniter, & officium celebret, omnibus & singulis Personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quam cuiusvis Ordinis, & Instituti Regularibus mandat, ac præcipit, ut in sacrosancto Missæ sacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publicè, quam privatim, non alio, quàm Conceptionis Nomine uti debeant. Contravenientes autem Sanctitas sua declaravit subjacere debere, & subjecit censuris, & pænis contentis in supradictis Constitutionibus, ac præfato decreto suorum Prædecessorum, ipsô factô incurrendis. Et ita decrevit, & mandavit ubiq; inviolabiliter observari.

§. 5. Non obstante in hac parte Constitutionibus supra scriptis, decreto præ-
fato

fato PAULI V. consvetudinibus etiam immemorabilibus, nec non omnibus & singulis, quæ Prædecessores prædicti voluerunt non obstare, ac alijs quibuscunq; in contrarium facientibus.

§. 6. Volens & decernens pro observatione, & executione præsentis decreti, & omnium in eo contentorum, quòd contra hujusmodi transgressores etiam Regulares cujusvis Ordinis & Instituti, etiam quomodolibet exemptos, & alias quascunq; Ecclesiasticas, & Sæculares Personas cujuscunq; status, conditionis, gradus, Ordinis, aut Dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis, tam Episcopi, quam Prælati Superiores, alijq; Ordinarij locorum, quàm hæreticæ pravitatis ubiq; locorum deputati Inquisitores procedant, & in eos severè animadvertant, tribuens eis, & eorum cuilibet liberam facultatem, & auctoritatem contra eosdem transgressores procedendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi.

§. 7. Voluit demùm, ne præmissorum ignorantia, à quoquàm prætendi possit, quod præsens decretum, seu illius exempla ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie

Campi

Campi Floræ affixa, omnes ita arctent, & afficiant perindè, acsi unicuiq; personaliter intimata fuissent; quodq; præsentium transumptis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & Sigillô alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si fuerint exhibitæ, vel ostensæ.

Andreas de Pettinis S. R. & Univers: Inquis: Not:

Annô à Nativitate Domini Nostri JESU CHRISTI Millesimo, Sexcentesimo Vigesimo Secundo, Indict: V. die verò 2. Mensis Junij, Pontificatûs Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. D. GREGORII Divinâ Providentiâ Papæ XV. Annô ejus secundo, supradictum decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in Acie Campi Floræ, ut moris est per me Brandimartem Latinum S. D. N. Papæ Cursorem.

INnovatio Constitutionum, & Decretorum in favorem sententiæ asserentis, Animam Beatæ MARIÆ Virginis in sui creatione & in corpus infusione à peccato originali præservatam fuisse, editorum.

ALEXAN-

ALEXANDER
PAPA VII.
Ad perpetuam rei memoriam.

SOllicitudo omnium Ecclesiarum, quam licet meritis, & virtutibus longè impares, DEI Optimi Maximi voluntate, & providentiâ gerimus, in id Nos anxiè tenet intentos, & vigilantes, ut scandala, quæ inter Fideles pro naturæ humanæ corruptione, & fragilitate necesse est ut veniant, quantùm fieri potest paucissima exoriantur, utq; exorta quàm celerrimè, & quam diligentissimè amoveantur: nam ijs per quos veniunt certam peccati perniciem, quibus verò præbentur, præsens afferunt labendi periculum; quorum Nos pro Nostro Pastoralis Officij debito, & damnum summoperè dolemus, & discrimine assiduè urimur. Sanè vetus est Christi Fidelium erga Ejus Beatissimam Matrem Virginem MARIAM pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, ac infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratiâ, & privilegiô, intuitu meritorum JESU CHRISTI ejus Filij, humani generis

Redemptoris, à macula peccati originalis præſervatam immunem, atq; in hoc ſenſu ejus Conceptionis Feſtivitatem Solemni ritu colentium & celebrantium; crevitq; horum numerus: atq; hujuſmodi cultus, poſt editas à fel. record. SIXTO Papa IV. Prædeceſſore Noſtro in ejus commendationem Apoſtolicas Conſtitutiones, quas Sacrum Concilium Tridentinum innovavit, atq; obſervari mãdavit. Aucta rurſus hæc & propagata fuit pietas, & cultus erga Deiparam, poſt erecta hoc nomine approbantibus Romanis Pontificibus, Religioſum Ordinem, & Confraternitates, ac conceſſas ab ijſdem Indulgentias, ita ut accedentibus quoq; pleriſq; celebrioribus Academijs ad hanc ſententiam, jã ferè omnes Catholici eam complectuntur. Et quia ex occaſione contrariæ aſſertionis in Concionibus, Lectionibus, Concluſionibus, & Actibus publicis, quòd nempè eadem Beatiſſima Virgo MARIA fuerit concepta cum peccato originali, oriebantur in Populo Chriſtiano, cum magna DEI offenſa, ſcandala jurgia, & diſſenſiones: rec. mem. PAULUS Papa V. etiam Prædeceſſor Noſter vetuit horum opinionem præ-

fatæ ſententiæ contrariam, publicè doceri, aut prædicari. Quam prohibitionem piæ memoriæ GREGORIUS Papa XV. ſimiliter Prædeceſſor Noſter, ad privata etiam colloquia extendit; mandans inſuper in favorem ejuſdem ſententiæ, ut in Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, ac Divino Officio celebrandis, tam publicè quàm privatim, non alio, quàm Conceptionis Nomine uti quicunq; debeant. Nihilominùs prout Venerabiles Fratres Epiſcopi fermè omnes Hiſpaniarum, cum Eccleſiarum ſuarum Capitulis, datis ad Nos literis expoſuerunt, accedente etiam inſinuatione Chariſſimi in Chriſto Filij noſtri PHILIPPI, earundem Hiſpaniarum Regis Catholici, qui specialem ſuper hoc miſit ad Nos Oratorem Venerabilem Fratrem Ludovicum Epiſcopum Placentinum, per quem etiam delatæ fuerunt ad Nos ſupplicationes Regnorum earundem Hiſpaniarum: pergunt aliqui contrariæ illius opinionis aſſertores contra præfatas prohibitiones, tùm privatim, tùm publicè præfatam ſententiam, aut impugnare, aut vellicare, & favorem à Romanis Pontificibus cultui, & Feſto ſecundùm illam præſtitum, ita inter-

pretari, ut frustrentur; imò Ecclesiam Romanam, huic sententiæ, & cultui juxta illam B. Virgini exhibito faveri negant, pios Christi fideles, è sua pacifica quasi possessione deturbare conando; unde offensiones, scandala, & jurgia, quibus obviare voluerunt PAULUS V. & GREGORIUS XV. Nostri Prædecessores, perdurant adhuc, & ex occasione eorundem adversantium majora his incommoda inposterum prudenter, & meritò timentur. Quapropter super his tam præfati Episcopi, cum Ecclesiarum suarum Capitulis, quã memoratus PHILIPPUS Rex, ejusq; Regna, Nobis pro opportuno remedio instanter supplicari fecerunt. Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de intemeratæ, semperq; Virginis MARIÆ Conceptione Festum Solemniter celebrat, & speciale, ac proprium super hoc Officium olim ordinavit, juxta piam, devotam, laudabilem Institutionem, quæ à SIXTO IV. Prædecessore Nostro tunc emanavit; volentesq; laudabili huic pietati, & devotioni, & Festo, ac cultui, secundùm illam exhibito in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum

norum Pontificum Prædecessorum Nostrorum exemplo favere, necnon tueri pietatem, & devotionem hanc colendi, & celebrandi Beatissimam Virginem præveniente scilicet Spiritûs S. gratiâ, à peccato originali præservatam, cupientesq; in Christi grege unitatem Spiritûs in vinculo pacis, sedatis offensionibus, & jurgijs, amotisq; scandalis, conservare: ad præfatorum Episcoporum cum Ecclasiarum suarum Capitulis, ac PHILIPPI Regis, ejusq; Regnorum oblatāNobis Instantiam, ac preces, Constitutiones, & Decreta à Romanis Pontificibus Prædecessoribus Nostris, & præcipuè à SIXTO IV. PAULO V. & GREGORIO XV. edita in favorem sententiæ asserentis, animam Beatæ MARIÆ Virginis in sui creatione, & in corpus infusione Spiritûs Sancti gratiâ donatam, & à peccato originali præservatam fuisse, nec non & in favorem Festi, & cultûs Conceptioni Ejusdem Virginis Deiparæ secundùm piam istam sententiam, ùt præfertur, exhibiti, innovamus, & sub censuris, & pœnis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus. Et insuper omnes, & singulos qui præfatas Constitutiones,

seu

ſeu Decreta, ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictæ ſententiæ, & Feſto ſeu cultui ſecundùm illam exhibito fruſtrentur, vel qui hanc eandem ſententiam, Feſtum, ſeu cultum in diſputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directè, vel indirectè, aut ſub quovis prætextu, etiam definibilitatis ejus examinandi, ſive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, ſive Doctores gloſſandi, vel interpretandi, deniq; aliô quovis prætextu, ſeu occaſione, ſcriptô, ſeu voce loqui, concionari, tractare, diſputare, contra eam quicquam determinando, aut aſſerendo, vel argumenta contra ea afferendo, & inſoluta relinquendo, aut alio quovis excogitabili modo differendo, auſi fuerint: præter pænas, & cenſuras in Conſtitutionibus SIXTI IV. contentas, quibus illos ſubjacere volumus, & per præſentes ſubjicimus, etiam concionandi, publicè legendi, ſeu docendi, & interpretandi facultate, ac voce activâ, & paſſivâ in quibuſcunq; electionibus eô ipsô, abſq; alia declaratione privatos eſſe volumus, necnon ad concionandum, publicè legendum, docendum, & interpretandum perpetuæ inhabilitatis pænas ipsô fa-

ctô

ctô incurrere abſq; alia declaratione; à quibus pænis nonniſi â Nobis ipſis, vel à Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus abſolvi, aut ſuper iis diſpenſari poſſint: nec non eoſdem aliis pænis Noſtro, & eorundem Romanorum Pontificum Succeſſorum Noſtrorum arbitrio infligendis pariter ſubiacere volumus, prout ſubiicimus per præſentes, innovantes PAULI V. & GREGORII XV. ſuperiùs memoratas Conſtitutiones, ſive Decreta. Ac libros in quibus præfata Sententia, Feſtum, ſeu cultus ſecundùm illam in dubiũ revocatur, aut contrà ea quomodocunq; ut ſuprà aliquid ſcribitur, aut legitur, ſeu locutiones, conciones, tractatus, & diſputationes contra eadem continentur, poſt PAULI V. ſuprà laudatum Decretum edita, aut inpoſterum quomodolibet edenda prohibemus, ſub pænis, & cenſuris in Indice librorum prohibitorum contentis, & ipsô factô, abſq; alia declaratione pro expreſsò prohibitis haberi volumus, & mandamus. Vetamus autem SIXTI IV. Conſtitutionibus inhærentes, quempiam aſſerere, quòd propter hoc contrariam opinionem tenentes, videlicet Glorioſam Virginem

ginem MARIAM cum originali peccato fuiſſe conceptam, hæreſis crimen, aut mortale peccatum incurrant; cùm à Romana Eccleſia & ab Apoſtolica Sede nondùm fuerit hoc deciſum, prout Nos nunc minimè decidere volumus, aut intendimus, quin potiùs contrariam illam opinionem hæreſis, aut peccati mortalis, aut impietatis damnare audentes, præter pœnas, quibus eos ſubjecit SIXTUS IV. alijq; Prædeceſſores Noſtri Romani Pontifices, gravioribus alijs pœnis ſubijcimus, quas in contrafacientes huic Noſtræ Conſtitutioni ſuperiùs inflximus. Volentes, quod contra hujus Noſtræ Conſtitutionis tranſgreſſores, etiam Regulares cujuſvis Ordinis, & Inſtituti, etiam Societatis JESU, & quomodolibet exemptos, & alias quaſcunq; Eccleſiaſticas, & Sæculares Perſonas, cujuſcunq; Statûs, Gradûs, Ordinis, aut Dignitatis tam Eccleſiaſticæ, quàm Sæcularis, ut præfertur, tam Epiſcopi, & Prælati Superiores, aliiq; locorum Ordinarij, quàm hæreticæ pravitatis ubiq; locorum deputati Inquiſitores procedant, & inquirant, atq; in eos ſtrictè animadvertant: Nos enim ijs, & eorum cui-

libet

libet contra eosdem transgressores procedendi, & inquirendi, ac pœnis coërcendi, & puniendi liberam facultatem, & Auctoritatem ijsdem Auctoritate, & tenore præsentium tribuimus, & impartimur; eosq; ut præfertur, procedere, inquirere, & punire strictè præcipimus, & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus, ac quibusvis indultis, & literis Apostolicis, quibusvis Personis quantumcunq; qualificatis, & in quacunq; etiam Cardinalatûs, Patriarchali, Archiepiscopali, Episcopali, & quavis alia Dignitate, & Honore constitutis, etiam quod contra eos procedi, interdici, suspendi, vel excommunicari nequeat, quomodolibet concessis. Quibus omnibus, & eorum singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de eis, ipsorumq; totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, ac de verbo ad verbum, non autem per generales, etiam id importantes clausulas, mentio habenda, aut alia exquisita forma observanda foret, tenores hujusmodi, acsi de verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis haben-

tes,

tes, harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæteriſq; contrariis quibuſcunquè.

Ut autem hæc noſtra Conſtitutio, & præmiſſa omnia, ad eorum omnium, quorum intereſt, notitiam congruentiùs pervenire poſſint, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna privationis ab ingreſſu Eccleſiæ eô ipsô incurrenda præcipimus, & mandamus omnibus, & ſingulis locorum Ordinarijs, ac eorum Vicarijs, Suffraganeis, & Officialibus quibuſcunq; & alijs ſingulis ad quos quomodolibet ſpectat, & pertinet, quatenùs hujuſmodi Noſtram Conſtitutionem ſingulis ſuæ Diœceſis, vel Diſtrictûs Prædicatoribus, & alijs quibus expedire judicaverint, opportunè inſinuent, & publicent, ac inſinuari, & publicari faciant, nè quis inpoſterùm quoquo modo ignorantiam de præmiſſis poſſit prætendere, aut ſe contra præmiſſa valeat excuſare.

Volumus, & ſimiliter eadem Auctoritate decernimus, & mandamus, quod præſentes literæ per aliquos ex Noſtris Curſoribus in Baſilicarum S. JOANNIS Lateranenſis, ac Principis Apoſtolorum, & Cancellariæ Apoſtolicæ

cæ valvis, ac in Acie Campi Floræ de more publicentur, & affigantur; quæ affixio & publicatio, ita omnes, & singulos, ad quos spectat, afficiat, & arctet ac si illis personaliter intimatæ fuissent; & quod illarum transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarij subscriptis, & Sigillô alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsùs fides adhibeatur, quæ præsentibus literis adhiberetur si ostensæ, vel exhibitæ forent.

Datum Romæ apud Sanctam MARIAM Majorem sub Annulo Piscatoris, die 8. Decembris MDCLXI.

Pontificatûs Nostri Annô Septimo,

S. UGOLINUS.

DIPLOMATA REGUM.

Pro Immaculata Conceptione Beatissimæ Virginis

M A R I Æ,

Primum Diploma est.

JOANNIS 1. Aragonum Regis qui in sua Sanctione Pragmatica Annô Domi-

in 1394. edita inquit, & ſic ſtatuit. *Nec à modo liceat, imò fortiter prohibemus quibuslibet Evangelizantibus, ſive Prædicantibus Verbum DEI, quidquam exponere, vel proferre in aliquam puritatis ipſius benedictæ Conceptionis jacturam: ſed potiùs dicti Prædicatores, & qui aliud voluerint ſentire, aut voluerunt, ſtrictè digitum ori ſuo apponant &c. Cæteri verò ſanctam ejuſmodi & ſalubrem noſtram opinionem habentes, illam in corde & ore ſeremonibus ſuis magnoperè venerentur, & publicent, colant, & celebrent, magnificent, & extollant ad laudem Altiſſimi, & honorem, & gloriam Matris ejus.*

Secundum Diploma eſt: MARTINI I. pariter Aragonum Regis Succeſſoris in Regno præfati JOANNIS I. Hic ergo Martinus I. in ſuo Diplomate. Annô 1398. edito ſic ſtatuit *Opinionem prædicti quondam Regis Fratris Noſtri, hoc eſt quod Glorioſiſſimæ Virginis & Matris MARIÆ Beata Conceptio fuit ab omni labe originalis peccati exempta, omninò firmiter inhærentes, tanquam ſalubri, Catholicæ piæq; non modicùm & devotæ, tenore hujuſmodi providemus, ſtatuimus, volumus & etiam inhibemus, ne à modò quiſpiam Religioſus, ſeu Clericus, vel alia quævis perſona cujuſvis ſit conditionis, ſeu ſtatus, audeat vel præſumat*

dicti

dicti quondam Fratris Nostri ac Nostram opinionem hujusmodi prædicando, disputando aut aliter, impugnare, arguere, seu quomodolibet improbare, & minus asserere dicereve illam esse damnatam, erroneam, indevotam, seu in aliquo reprobatam; quin potius abinde fræno abstinentiæ se compescant, totaliter ori suo custodiam imponentes. Ita refert R. P. Joannes Absolon in suo Opusculo de Immaculata Conceptione.

Eodem zelo Serenissimi Poloniarum Reges ardebant erga Immaculatam Beatissimæ Virginis MARIÆ Conceptionem. Et sic Serenissimus ULADISLAUS IV. Rex Poloniæ instituit Ordinem militarem sub titulo Immaculatæ DEIparæ Virginis, ejusq; Ordinis confirmationem obtinuit ab URBANO VIII. Pontifice Maximo per Bullam quæ incipit: *Militantis Ecclesiæ regimini:* sub Annô 1634. Die 5. Julij, quæ Bulla habetur apud R. P. Gasparum Niesiecki S. J. *Tomo 3. fol. 502.* Serenissimus etiam AUGUSTUS II. Rex Poloniæ magnum zelum exhibuit in defendenda Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ, quando Cives & Hæreticos Civitatis Torunensis suo Dominio subjectos, honorem & Imagines Immacu-

latæ

latæ MARIÆ Virginis conculcantes, frangentes, & contemnentes, Decreto suo justissimo sententiavit, & ad executionem deduci mandavit.

Serenissimum Patrem sequitur modernus feliciter Regnans Serenissimus Invictissimus & Potentissimus AUGUSTUS III. Poloniæ Rex, &c. Hæreditt: Dux Saxoniæ, Princeps & Elector, qui sicut Fidem Catholicam in Saxonia plantavit, & Ecclesias ibidem celeberrimas fundavit, ita honorem Immaculatæ Conceptionis ardentissimè strenuissimè, & fortissimè defendit, ac promovet, una cum Serenissima Regina MARIA JOSEPHA Austriaca Domina piissima, devotissima & exemplarissima.

Exemplum Serenissimorum Regum sequitur tota Polonia, Senatus, Proceres, Equites totumq; Regnum, in quo Festum Immaculatæ Conceptionis cum magnis triumphis ubiq; celebratur, & nulla est in toto Regno Ecclesia, quæ non resonet cultum & Honorem Immaculatæ Conceptionis B. V. MARIÆ.

F I N I S.

APPROBATIO.

ENCHIRIDION R. STANISLAI à ŁOWICZ, Artium Liberalium Magiſtri, Canonici Regularis SS. SEPULCHRI de Immaculata Conceptione B. V. MARIÆ labore editum: operâ verò Perilluſtris & Reverendiſſimi, M. IACOBI PAULI RADLINSKI, Poloni, Sacræ Theologiæ DOCTORIS, OrdinisCanonicorumRegulariumCuſtodumSSmi Hieroſolymitani SEPULCHRI CHRISTI Domini PRÆPOSITI GENERALIS INFULATI auctum, uti adpropagandum honorem Immaculatæ Conceptionis B. V, MARIÆ ordinatum, ut Typis imprimatur do facultatem. Dat: in Collegio Majori. *Die 5. 7bris.* 1747.

M. MATHIAS ZIĘTKIEWICZ, S. Th: Doctor & Profeſſor, Canonicus Cathedralis Cracovienſis. Librorum per Diœceſim Cracovienſem Cenſor.

mmp.





